DE

BEATISSIMI PETRI

APOSTOLORUM PRINCIPIS

PRIMATU, ROMANO ITINERE, ET EPISCOPATU

FRANCISCI ANT. ZACCARIA
THOMAE MARIAE MAMACHII
PETRI FOGGINII

DISSERTATIONES

Obsoletos errores instaurare conantibus veterum responsa.

ROMAE
EX TYPOGR. POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MDCCCLXXII.

DE

BEATISSIMI PETRI

APOSTOLORUM PRINCIPIS

PRIMATU, ROMANO ITINERE, ET EPISCOPATU

FRANCISCI ANT. ZACCARIA

THOMAE MARIAE MAMACHII

PETRI FOGGINII

DISSERTATIONES

Obsoletos errores instaurare conantibus
veterum responsa.

ROMAE

EX TYPOGR. POLYGLOTTA S. C. DE PROP. FIDE

MDCCCLXXII.

BENEVOLO LECTORI

« Respondere adversa sentientibus, et a » regula veritatis errantibus saepissime cogi» mur, etiam de his rebus, quas aliis atque » aliis sermonibus frequentavimus (1). Atque » utile omnino est, plures a pluribus fieri li» bros *diverso stilo non diversa fide*, etiam » de quaestionibus eisdem, ut ad plurimos res » ipsa perveniat, ad alios quidem sic, ad alios » autem sic » (2). Aureum hoc sanctissimi Doctoris Augustini documentum constanter tenuerunt ac tenent doctores, theologi et apologistae: quam ob rem nullus iam error est,

(1) S. August. de Unic. bapt. contr. Petilian. cap. 1.
(2) Idem de Trinit. lib. 1. cap. 3.

quem plures *diverso stilo non diversa fide* catholici non refutaverint. Hos inter errores impudentissimus ille est, quo romanus B. Petri Apostolorum Principis episcopatus, quin et ipsum romanum iter denegatur. Qui quidem error ab Apostolicae Sedis inimicis magno plausu exceptus, quandoquidem eo admisso corruat necesse est Romanorum Pontificum in episcopatu B. Petri adeoque in primatus iuribus successio; mox vero tanta eloquentia et auctoritate a catholicis oppressus est, ut cordatiores ex acatholicis scriptores eiusdem erroris vel maxime puduerit. Non idcirco tamen ab eo mendacio interdum renovando cessatum: numquam enim defuerunt perditissimi ac perfrictae frontis homines, qui impudenter mentiri non dubitaverint, probe scientes indoctis, infrunitis et simplicioribus, quorum infinitus est numerus, ea ratione facile illudi.

Postquam vero novissimis hisce diebus atrox bellum sanctae huic Bm̃i Petri Cathedrae undique indictum est, etiam obsoletus ille error recusus fuit: tantaque impudentia actum est, ut rebelles quidam Ecclesiae filii, ne romanis quidem aüribus parcentes, minime dubitaverint in hac ipsa alma Urbe, et ante ipsa

Apostolorum trophaea romanum B. Petri iter palam impugnare, *non cogitantes nos esse Romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, et ad quos,* uti aiebat S. Cyprianus (1), *perfidia habere non possit accessum.* Equidem doctissimi in hac Urbe viri (2) in arenam alacres descenderunt; non tam ut romanam quin et universi orbis terrarum fidem defenderent, quam ut sophismata refellerent, quibus apostatae illi et acatholici homines errorem istum tueri se posse confidebant, vel confidere ostentabant.

Quoniam vero cum de fide agitur, quisque christianus miles est, praesertim si sacerdotio decoretur, ego etiam aliquid hac in re pro modulo meo agendum censui, quod viribus meis aptum esset, meique humeri ferre non recusarent. Idcirco nonnulla quae obsoletis his-

(1) Epist. LV. ad Cornelium Papam n. XIV.

(2) *Henricus Fabiani, Iosephus Cipolla, Augustus Guidi* presbyteri Romani. Cf. Resoconto autentico della disputa tra sacerdoti cattolici e ministri *evangelici* sopra la venuta di S. Pietro etc. Roma 1872. — *Cataldo Caprara* la venuta di S. Pietro dimostrata ec. Roma 1872. — *P. Gio. Maria Cornoldi* S. Pietro a Roma. Tre conferenze ec. coll' appendice. Roma 1872.

ce putidisque erroribus maiores nostri responsa dederunt, typis iterum edenda curavi; ut quae vel rariora iam evaserunt, vel sub plurium voluminum mole delitescunt, in omnium manus facile venire possent, eorum praesertim quos maxime decet vel opus est in promptu habere argumenta et auctoritates ad romanum B. Petri iter et episcopatum asserendum, et contradicentium sophismata diluenda. Ea autem mutuari placuit a duobus clarissimis viris THOMA MARIA MAMACHIO et PETRO FOGGINIO. Quorum prior in libro quarto (part. 2. cap. 4 et 5) praeclari operis cui titulum fecit *Origines et Antiquitates Christianae* (1), romanum B. Petri iter, et veri nominis episcopatum strenue defendit, pluribus additis eruditissimis adnotationibus, quarum fusiores ad calcem eorumdem capitum amandare oportuit, ut typothetarum ac lectorum commoditati consuleretur. Fogginius autem in *Exercitationibus historico-criticis de romano Divi Petri itinere et episcopatu eiusque antiquissimis imaginibus* (2), probandum assumit *(Exerc. 18)*

(1) Edit. Romae primo apud Pagliarini an. 1755, deinde apud Salviucci an. 1850.

(2) Edit. Florentiae an. 1741.

S. Petrum mortuum esse romanum episcopum. At quoniam, uti superius innui, historicas istas veritates, quibus nil magis certum et exploratum est, ideo aliqui evertere praesumunt, ut supremae Romanorum Pontificum potestatis, qua B. Petri successorum, fundamentum corruat, idcirco his praemittenda visa est brevis quidem et robusta, rarior tamen effecta Francisci Antonii Zaccaria dissertatio *de S. Petri Primatu, Romanaque Ecclesia ab eo condita atque Episcopi iure administrata* (1).

Ceterum dum *obsoletos errores instaurare conantibus veterum responsa* obiiciuntur, futurum confido ut quisque intelligat nihil novi nisi fortasse specie tenus, et quod iamdiu plene cumulateque refutatum non fuerit, contra historicas illas et dogmaticas veritates afferri posse; ac propterea haereticorum *vanitatem vel doleat quia homines sunt, vel derideat quia superbi sunt* (2). Ut enim monet Apostolus (3), *superbus est, nihil sciens, sed languens circa quaestiones et pugnas*

(1) Edit. Romae apud Casaletti an. 1776.
(2) S. August. de Genes. contr. Manichaeos l. 1. c. 3.
(3) 1. Timoth. VI. 3. 4.

verborum, qui non acquiescit sermonibus Domini nostri Iesu Christi, et ei quae secundum pietatem est doctrinae.

I. P. Presbyter Romanus.

FRANCISCI ANTONII ZACCARIA

DE

SANCTI PETRI PRIMATU

Romanaque Ecclesia ab eo condita
atque Episcopi iure administrata

ADVERSUS NUPERRIMUM LIBRUM
LONDINENSIBUS TYPIS
UT TITULUS MENTITUR
EXCUSUM

DISSERTATIO

(Edita Romae an. 1776.)

PRAEFATIO

I. Tot inter exitiosissimos libros, quos infausto hoc saeculo effraenis quaedam opinandi licentia in dies parit, non infimum sibi locum vindicat Tractatus quidam *Latino* simul et *Gallico* idiomate *Londini* (quod tamen mendaci titulo nemo crediderit) 1770. in 8. excusus, ac praenotatus: *de Primatu* Romani *Pontificis, opus, cuius scopus est demonstrare, Primatum* Romani *Episcopi inter alios Episcopos nullum nisi honorificum esse, et illum Primatum nec divinum, nec Iurisdictionis esse.* Vel haec scelestissimi libri inscriptio, quod in eo latet, perversi dogmatis virus indicat; nec tamen detegit universum.

II. Duas veluti in partes liber dispescitur. Agit prima de Petro, eique nullam super alios Apostolos auctoritatem a Christo collatam fuisse contendit. Quid tamen? « Non nego, *inquit nefa-* « *rius tenebrio* (1), ipsum Apostolum primum « fuisse 1. ratione *aetatis:* iure enim naturali « fratrum natu maximo cedit inter eos primatus. « 2. Ratione *fidei* eius, ardentiorisque in Christum « *caritatis.* Fit saepenumero ut inter eamdem

(1) Pag. 98.

« artem profitentes primus vocetur, qui in ea « exercenda caeteris praestat. Sic vulgo auditur: « *hic primus est causidicorum: iste primus Prae-* « *dicatorum etc*.... 3. Collegii Apostolici primus « fuit *Petrus* ratione *laboris*, efficacisque praedi- « cationis ad informandam Ecclesiam.... 4. Primus « fuit ratione *temporis;* quoniam quum ex disci- « pulis Christus elegit, quos voluit esse Apostolos, « primo *Petrum* nominavit. *Factum est autem,* « inquit *Lucas*, *in illis diebus exiit in montem* « *orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Et* « *quum dies factus esset, vocavit discipulos suos,* « *et elegit duodecim ex ipsis, quos et* Apostolos « *nominavit;* Simonem, *quem cognominavit* Pe- « trum, *et* Andream *fratrem eius*. 5. Tandem pri- « matum obtinebat *Petrus* ratione *ordinis* inter « Apostolos constituti; ipsorum enim antesignanus « erat, a Christo positus primus, ut Apostolorum « choro praeesset. » Haec ille.

III. Tum audacior factus pergit, ac licet *Petrum* aliis Apostolis auctoritate praeesse Christus iussisset, negat tamen (1) hinc quidquam potestatis in *Romanos* Pontifices derivari. Nam neque a *Petro Romanam* Ecclesiam constitutam, nec *Petrum* fuisse *Romae* Episcopum multis contendit. *Eversum ergo,* inquit (2), *iacet supremae*

(1) Pag. 278. — (2) Pag. 362.

Romanorum Episcoporum auctoritatis fundamentum.

IV. Id equidem si obtinuisset, ut obtinuisse se iactat, de Pontificio Primatu actum foret. Vide tamen hominis confidentiam. «Ut animos, inquit (1), « contraria opinione praeoccupatos ab errore li- « berem, hoc unum mihi superest demonstran- « dum, a Patribus scilicet, et Conciliis sex prio- « rum saeculorum agnitam non fuisse iurisdictio- « nem hanc, quae hodie super universam Eccle- « siam *Romanis* Episcopis tribuitur. Iis e contrario « persuasum fuisse, divinam auctoritatem eamdem « esse in omnibus Episcopis; *Romani* Pontificis « praerogativas ex solo hominum instituto deflue- « re; eas aliorum Patriarcharum praerogativis « similes esse, excepto iure in primo gradu se- « dendi; easdemque non transcendisse limites pro- « prii Patriarchatus, qui primis Ecclesiae saeculis « angustioribus terminis claudebatur.» Huiusmodi porro inter Pares Primatum ideo *Romanus* Pontifex obtinuit, *quia,* inquit idem (2), Roma *inter totius Imperii Urbes prima erat.*

V. Undenam hasce blasphemias, illamque, qua *Romanos* Pontifices passim insectatur, maledicentiam personatus hic scribillator deprompserit, facile est coniectari. Eum scilicet *Veleni, Calvini, Magdeburgensium, M. Antonii de Dominis,* idque

(1) Ibid. — (2) Pag. 510.

genus heterodoxorum Scriptorum scrinia compilasse exploratum est. Nec tamen illum aut *Calvini*, aut *Lutheri* partes sectari dixero. Quibus vel in ipsa operis praefatione *Clementinam* Constitutionem *Unigenitus* probris proscindit, ea *Iansenianum* hominem aperte produnt. « Licet, inquit (1), « Constitutionem UNIGENITUS multis scaturire vitiis, « ac veritates in ipsa damnatas in Religione summas esse, palam factum sit; nihilominus quantam in dies sibi sumpserit auctoritatem nefarium « illud decretum, quis non videt? Qui primo prudentia tantum carnali ducti huic subscripserant, « illud tamquam Ecclesiae legem adorant hodie. « Qui aeternum ei bellum indixerant, tolerant « nunc, ac de eo volentes silent. Aperto ore blasphemant veritatis hostes, dum pudendi legem « silentii amplectuntur amici etc. » Similia sunt quae in *Alexandrum VII.* ob celeberrimam ac *Iansenianis* invisam ab eo propositam fidei formulam, atque iterum in *Clementem XI.* evomit (2), maledicta. *Num,* inquit, *fundamentum erat Ecclesiae* Alexander VII. *quum fideles ad iniustitiam, et periurium lato decreto adigebat? Num* Clemens XI. *quum Evangelio Christi novum subrogabat?* Nec minus *Iansenianum* dogma est, quod Auctor alio in opere a se defensum iri minatur (3). En eius verba: *In alio opere ostendam,*

(1) Pag. IV. — (2) Pag. 38. — (3) Pag. 490.

plenitudinem hanc Sacerdotii, quae Episcopis adscribitur, et a qua excluduntur Sacerdotes, vocem esse sensu vacuam, nomen sine re, et sanae doctrinae contrariam novitatem. Quo ista spectent, nemo non intelligit; ut scilicet eorum, quos dicimus secundi ordinis, auctoritas Episcopali exaequetur, nihilque absque Presbyterorum consensione statui ab Episcopis posse, quemadmodum *Iansenianis* placet, efficiatur.

VII. Ut ut de Auctore eiusque secta est (hoc enim ea solum de caussa monuimus, quod nosse Auctores, illorumque institutum ad pernoscendam quoque librorum indolem maxime faciat) quum ille veteres fere naenias, atque a nostris Theologis centies depulsas in medium adferat, non longa eius opus confutatione indigere intelligo, immo in iis libris, quos adversus *Febronium Italice,* et *Latine* conscripsimus, et in aliis, quos brevi edemus, pleraque a nobis contrita lectores invenient. Itaque illis impraesentiarum omissis, quae ad *Romani* Pontificis potestatem propius pertinent, de uno *Petri* Primatu, cui illa innititur, *Romanaque* Ecclesia ab eo condita, atque Episcopi iure administrata, mea erit cum *Ianseniano* hoc dogmatiste disputatio; neque tamen omnia, quae ille ex haereticorum libris conrasit, refellere adgrediar, sed ea praesertim, quae vel aliquid novitatis praeseferunt, vel uberiore indigent explicatione; caetera,

ne crambem inconsultus recoquere et ipse videar, praeteribo.

VII. Caeterum non sine divino consilio factum crediderim, ut haec dissertatio sub anni MDCCLXXIV. exitum a me lucubrata nunc primum prodiret, Ecclesiae Catholicae felicissime imperante PIO VI. P. O. M. Novit Urbs, quanto praestantissimus hic *Pastor*, ut cum *Arnulpho Lexoviensi* loquar (1), *et Episcopus omnium, qui Christiano nomine censentur*, Apostolorum Principem cultu prosequatur. ILLUM certe in Vaticanis aedibus saepe saepius nunc ad eius, quam dicimus, *Confessionem* tenerrimo Religionis sensu non tam orantem, quam haerentem, ac plane absorptum; nunc ad aeneum Sanctissimi Apostoli simulacrum aestu quodam pietatis convolantem, sacrumque caput illius pedi demisso animo subiicientem videmus. Quidni ergo arcanae supremi Numinis rationi tribuam, Dissertationem, quae S. PETRI Primatum, Romanumque Episcopatum vindicat, non antea evulgatam fuisse, quam in eiusdem Cathedra sederet eius non successor modo, sed etiam cultor eximius PIUS VI.? Sed haec pro mea in Sanctissimum Pontificem reverentia indicasse sit satis.

(1) Ep. XIX.

DE

S. PETRI PRIMATU

ROMANAQUE ECCLESIA

AB EO CONDITA

ATQUE EPISCOPI IURE ADMINISTRATA

DISSERTATIO

CAPUT I.

QUAE PETRO CHRISTUS MATTH. XVI. POLLICITUS EST, CUM IIS CONFERUNTUR, QUAE OMNIBUS APOSTOLIS IDEM DOMINUS PROMISIT MATTH. XVIII. HINCQUE SUPREMA PETRI IN OMNES APOSTOLOS POTESTAS INVICTE EFFICITUR.

I. *Iansenianus* Auctor, quem refellendum suscipio, ut Petri Primatum, si fieri posset, everteret, eo studium suum omne contulit, ut nulla illum in caeteros Apostolos auctoritate donatum a Christo fuisse suaderet. Profecto si Apostoli *Petro* potestate omnino pares, nec ulla prorsus ratione *Petro,* illiusque dignitati obnoxii fuissent, eius in universam Ecclesiam Primatus nutaret: contra vero si in Apostolos ipsos ex Christi Domini iussu *Petrum* auctoritate praeditum fuisse evi-

cerimus, nullus de illius in Episcopos Apostolorum Successores, caeterosque Fideles Primatu ambigendi locus supererit. Nemo igitur miretur, cur de uno *Petri* in Apostolos Primatu cum nupero hocce Scriptore disputemus; nam et hunc ille solum adgressus est, et ex illo tandem reliqua omnis *Petri* in Ecclesiam auctoritas pendet. Ut autem rem totam plane et perspicue pertractemus, primum quidnam uni *Petro*, quidnam omnibus Apostolis Christus promiserit expendamus; deinde quid cum illi, tum his postea idem concesserit, videbimus.

II. Haec enimvero omnibus Apostolis, atque adeo etiam *Petro* dicta a Christo fuisse *Matthaeus* perhibet (1): *Amen dico vobis: quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Non heic sane quidquam datur (quod nonnullis incautis excidit), sed tantum promittitur, uti *Bellarminus* (2) sapienter monet, atque explicatur, ac praedicitur, quantam potestatem essent Apostoli, eorumque Successores suo tempore habituri. *Etenim planum est, Apostolos non esse factos Sacerdotes, nisi in ultima coena, neque Episcopos et Pastores, nisi post resurrectionem, proinde quo tempore haec Dominus loquebatur, privati homines erant, nec ullam ha-*

(1) *Cap.* XVIII. 18.
(2) *De Rom. Pont. lib.* I. *cap.* XII.

bebant Ecclesiasticam potestatem. Quam porro omnibus Apostolis heic Christus spopondit cum interiorem, tum exteriorem potestatem (de utraque enim agi *Maldonatus* (3) animadvertit, atque ingeniose, vereque confirmat), ea eiusmodi est, ut Apostoli quod ad illam spectat, pares inter se se essent, nec quidquam *Petro* amplius, quam caeteris promitteretur.

III. At nihilne praestantius, neque caeteris Apostolis commune alio locō Christus *Petro* pollicitus est? Minime vero. Adcipe divinum Christi promissum. Exstat illud apud eumdem *Matthaeum* (4): *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam; et tibi dabo Claves Regni Coelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Iamvero aio, heic singularem quamdam *Petro* potestatem promitti, cui caeteri omnes Apostoli obnoxii esse deberent. Ut id efficiam, geminam aedificii, et clavium metaphoram, qua Christus heic usus est, singulatim consideremus. Ineptit Anonymus noster, qui Patrum quorumdam locis a *Launoio*, et *Dupinio* mutuatis abutitur, ut *Petram,* super quam Christus se Ecclesiam suam aedificaturum pollicebatur, non *Petrum* fuisse sed Christum ipsum, *aut*

(3) *In hunc* **Matth.** *locum.*
(4) *Matth.* XVI.

quod in idem redit (verba eius sunt) *Christi divinitatis fidem, quam modo* Petrus *confessus erat* (5), persuadeat. Consulat *Antifebronium vindicatum* (6); intelliget, quos cum suis illis duumviris Pontificio Primatui evertendo iactat Patres huius interpretationis Auctores, nec tot esse, quot ille sibi confingit (7), nec umquam in ea tradenda spectasse, ut *Petrum* alterum a Christo, ab eoque praecipuum omnis Ecclesiastici aedificii fundamentum esse inficiarentur. Id eo loco tot, ac tam luculentis Sanctorum Patrum testimoniis a me effectum est, ut si ad idipsum comprobandum me referrem, actum omnino agerem (*). Iure ergo sumam, quod ibi demonstratum abunde est, *Petrum* esse Petram, de qua apud *Matthaeum* Christus loquitur (8).

IV. Hoc porro si verum est, illud plane consequitur, Apostolos in ea ipsa, quam a Christo amplissimam adceperunt, potestate *Petro* obnoxios fuisse. Equidem caeteros quoque Apostolos cum

(*) Ut lectori praesto sint, quae in loc. cit. *Antifebronii vindicati* scripsit cl. Auctor, ea ad calcem huius dissertationis referentur.

(5) *Pag. 4.*

(6) *Tom.* I. *Dissert.* II. *cap.* III.

(7) *Antif. Vindic. loc. cit. pag. 313.*

(8) Confer etiam quae contra *Lutheranum Schubertum* disputavi in adnotationibus ad *libr.* S. Cypriani *de unit. pag. 199. seqq.* (Edit. Rom. 1774.) *et Franc. Anton. de Simeonibus Tom.* I. *de Rom. Pontif. iudiciaria potestate cap.* I. (Edit. Rom. 1717.)

Bellarmino (9), atque adeo cum *Paullo* (10) Ecclesiae fundamenta agnoscimus; quin etiam in hoc summam eorum dignitatem maxime sitam fuisse non diffitemur. Verum id nobis quoque certissimum est, praecipuum a Christo Ecclesiae fundamentum *Petrum* et esse, et dici debere. Qua in re vel unum, quo *Petrus* designatur, *Petrae* nomen sufficeret. Quis enim Apostolorum praeter *Petrum Petra* vel a Christo, vel a Patribus appellatus est? Immo illud ab *Hieronymo* (11) acute animadversum video, Christum caetera, quae sibi maxime congruerent, nomina cum omnibus Apostolis communicasse, at *Petrae* nomen cum uno *Petro. Sicut,* inquit, *ipse lumen Apostolis donavit, ut lumen mundi appellarentur, caeteraque a Domino sortiti sunt vocabula, ita et* Simoni, *qui credebat in Petram Christum, Petri largitus est nomen. Ac secundum metaphoram Petrae recte dicitur ei: aedificabo Ecclesiam super te.* Cur hoc? Utique ut nemo ambigeret, quin inter Ecclesiae fundamenta is post Christum praecipuum foret, qui ab ipso principe eiusdem fundamento Christo *Petrae* nomen unus suscepisset. Quare *Tertullianus* aiebat (12): *Mutat et* Petro *nomen de* Simone, *quia et creator* Abrahae, *et* Sarae, *et* Auseae

(9) *De Rom. Pontif. lib.* I. *cap.* XI.

(10) Eph. II. *superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum.*

(11) *In cap.* XVI. Matth.

(12) *Lib.* IV. *contr.* Marcion. *cap. 13.*

nomina reformavit, hunc vocando Iesum, *illis syllabas adiiciendo. Sed et cur* Petrum? *Si ob vigorem fidei, multae materiae, solidaeque nomen de suo adcommodaret. An quia et Petra, et lapis Christus? Siquidem et legimus positum eum in lapidem offendiculi, et in Petram scandali. Omitto caetera. Itaque adfectavit carissimo discipulorum de Figuris suis peculiariter nomen communicare, puto propius, quam de non suis.* Idipsum *S. Petrus Chrysologus* paucis hisce verbis complexus est (13): Petrus a Petra *nomen adeptus est; quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare.*

V. Sed omnem, si quae superesset, dubitationem caetera Christi verba amovent: *et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Nihil tale,* inquit *Chrysostomus* (14), *de illis* (Apostolis) *dictum est, quale de hoc* (PETRO) *dicitur...... Tu es* Petrus, *et super hanc* Petram etc. *Quae soli Deo propria sunt..... Ecclesiam reddere inconcussam.... haec* IPSI *se daturum promittit.* Ergo praecellentius aliquid in *Petro* necesse est agnoscamus, licet caeteros Apostolos Ecclesiae fundamentis adnumeremus. Disertum huius rei testem habemus *Teophanem Cerameum* (15), qui Christi verba ita interpretatur: *Tu*, inquit, *Petra es, Petra fies fidei, et constituendae Ecclesiae funda-*

(13) *Serm. 154. de Steph.*
(14) *Hom.* LV. *in cap.* XVI. Matth.
(15) *Hom.* XLV.

mentum, *et spiritualis aedificii* PRIMUS ADITUS. Idem paullo aliis verbis tradidit multo *Theophane* antiquior *S. Nilus* Abbas *S. Ioh. Chrysostomi* discipulus in litteris *ad Eusebium ducem* (16): *Ac vide mihi* PRIMUM *lapidem Ecclesiae, Chori Apostolici* VERTICEM *ex poenitentia factum*. At quidnam hoc est? Docebit *Gregorius Nazianzenus*, qui *Petrum et Iohannem* cum caeteris Apostolis conferens ait (17): *Vides, quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus, et excelsis, hic Petra vocetur, atque Ecclesiae fundamenta in fidem suam adcipiat; ille impensius ametur, et supra pectus Iesu requiescat, ac reliqui discipuli eos sibi praeferri aequo animo ferant*. Nihil sane ad *Petri* Primatum explicandum magnificentius. Ecclesiae fundamenta sunt Apostoli, quibus Christiani inaedificantur; sed Apostolorum praeterea fundamentum *Petrus* est, qui *Ecclesiae fundamenta illa in fidem suam. accipit*, seu firmitati suae credita habet. Neque id mirum. *Hic* nempe *Petrus,* addit Ambrosius (18), *qui respondit* PRAE CAETERIS *Apostolis, imo* PRO CAETERIS, *et* IDEO *fundamentum dicitur, quia novit non solum proprium, sed etiam* (reliquis Apostolis) COMMUNE *servare*. Hinc antiquissimi Patres, qui omnes Apostolos ut Ecclesiae fundamenta venerabantur, Ecclesiam tamen super unum *Petrum* fundatam aie-

(16) *Ep. 310.*
(17) *Orat.* XXVI.
(18) *De Incarn. cap. 5.*

bant. Sic *Cyprianus* (19): *loquitur Dominus ad Petrum....* Tu es *Petrus*, et super istam Petram aedificabo Ecclesiam meam: *super* ILLUM UNUM *aedificat Ecclesiam suam. Pacianus* in eamdem sententiam (20): *ad* Petrum *loquutus est Dominus:* Tu es Petrus etc. *Ad* UNUM *ideo, ut unitatem fundaret ex* UNO. Immo *Gallicana* Ecclesia in ea, ut aiunt, *contestatione,* quam in SS. Apostolorum *Petri* et *Paulli* Natali die canebat (21), *Petrum ex Apostolis Ecclesiae fundamentum* delectum adserebat, ut, nisi Scripturae, quibus tam illustrem Ecclesiam adversatam fuisse nemo prudens dixerit, obstarent, vix alios Apostolos Ecclesiae fundamenta agnovisse videretur. Sed nimirum alia in *Petro,* alia in caeteris Apostolis *fundamenti* ratio est; in illo ordinariae et ad Successores dimanaturae, nec praeterea ulli obnoxiae potestatis; in his extraordinariae, nec in successores derivandae; cum primis vero *Petro* ipsi veluti fundamento innixae, ut in uno tandem *Petro* sistendum illi sit, qui primarium a Christo, generale, et perpetuum Ecclesiae fundamentum quaerat. Non igitur *Petrus* solummodo fundamentum dicendus est Ecclesiae, sed cum *Origene* (22) *Magnum Ecclesiae fundamentum,*

(19) *Lib. de unit. Eccles.*

(20) *Ep.* III. *contr.* Novat.

(21) *Ex quibus* (Apostolis) *b.* Petrum *in fundamentum Ecclesiae collocasti.* Apud Mabill. T. I. Mus. Ital. P. II. *p. 343.*

(22) *Hom.* V. *in Exod.*

ut qui caetera Ecclesiae fundamenta, mutuata a Christo virtute, fulciat atque stabiliat. Nisi hoc dixerimus, Patres cum Sacrarum Scripturarum sententiis, immo et secum ipsis turpiter confligentes induxerimus. Quod si dum super Apostolos aedificatam esse Ecclesiam audimus, eos statim intelligimus amplissima in omnes Christianos potestate a Christo donatos fuisse, quei fieri potest, ut illos *Petro,* super quem et ipsi fundati sunt, omnino aequales esse velimus? An non potius, nisi pugnantia loqui placeat, fatendum est, uti Apostolos caeteris Christianis, ita *Petrum* Apostolis dignitate praestitisse, seu *Petrum* cum Christianis omnibus inferioris ordinis, tum ipsis Apostolis auctoritate, ac potestate praefuisse?

VI. Verum age, alteram illam, quam Christum adhibuisse vidimus, dandarum clavium metaphoram expendamus: quae hactenus disseruimus, clariori in lumine collocabuntur. *Tibi dabo Claves Regni Coelorum,* inquit Christus. At *Anonymus* (23) statim obiicit *Origenem, Hilarium, Hieronymum, Ambrosium, Gaudentium, Augustinum, Theophylactum,* et *Bedam,* qui magna sententiarum consensione aliis quoque Apostolis Claves a Christo datas fuisse adfirmant. Quasi vero quum *Launoius* et *Dupinius* eosdem Patres in medium adtulerint, nemo contra hiscere ausus sit. Atqui *Charlasius, Franciscus de Simeonibus,* Card.

(23) *Pag. 50.*

Orsius, Ballerinius, aliique eorum mentem plane explicuerunt, ut mirum sit, eosdem tanta nunc ostentatione nobis iterum opponi. Ego idipsum adversus *Febronium* in *Antifebronio vindicato* (24) fuse pertractavi. Itaque non longo in eiusmodi testimoniis enucleandis sermone utar, praesertim quum plura in sequens caput reservari ipsa argumenti ratio postulet. Nunc unum illud aio, si cum clavibus, quas Apostolis promissas novimus, promissionem *Petro* recitatis verbis a Christo factam contenderimus, excellentius aliquid *Petro,* quam caeteris Apostolis promissum fuisse. Ligandi nimirum, ac solvendi potestatem Christus Apostolis pollicitus fuit, eamque clavium nomine *Hilarius* (25), *Hieronymus* (26), aliique Patres designarunt; nusquam tamen in Scripturis hoc illa vocabulo denotatur; non certe Christus aut Matth. xviii. dum eam Apostolis promisit, aut Ioh. xx. dum contulit, ullam clavium mentionem iniecit. Monuit id *Maldonatus,* immo multis ante eum saeculis *Eulogius Alexandrinus Gregorio M.* aequalis his verbis, quae *Photius* reddit (27): *Ideo nec* Iohanni, *nec alii cuiquam discipulo dixit Salvator:* Tibi dabo Claves Regni Coelorum..... *sed soli* Petro, *qui Deum negaturus, et peccatum lacrymis, et poenitentia expiaturus, ut suo ipsius*

(24) *Tom.* i. *pag. 265. seqq.*
(25) *De Trinit. Lib.* vi.
(26) *Lib.* i. *Adv. Iovinian.*
(27) *Biblioth. Cod. 280.*

exemplo erga peccatores humanior esset. Undenam vero factum, ut Christus non caeteros Apostolos, sed unum *Petrum* adloquens splendido clavium nomine uteretur? « Sane, inquit doctissimus Episcopus *Coeffeteau* (28), quoties Scriptura utitur » metaphora clavium, significat potestatem, non » quamlibet, sed eximiam quamdam, ac singu- » larem. Itaque quum apud *Esaiam* vellet Deus » significare, daturum se se *Eliacim* summam » auctoritatem in aula regia, dixit (29): *dabo » clavem domus David super humerum eius; et » aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et » non erit qui aperiat.* Hoc enim de eximia qua- » dam, et singulari auctoritate Scriptura inter- » pretata est. Et apud *Lucam* Christus (30): *Vae » vobis legis peritis, qui tulistis clavem scientiae,* » idest, qui vobis adrogatis summam auctorita- » tem interpretandi Scripturam. Et in *Apocalypsi,* » ut Christus indicaret, se unum habere potesta- » tem vitae, ac mortis, et occidere posse, et ad » vitam revocare, dixit, se habere *Clavem vitae » et mortis,* idest, utriusque summam potestatem » et imperium. Et rursus, ut indicaret, se esse » omnium maximum in regno *David*, dixit, se » habere *Clavem domus David.* Ergo pari ratione » hoc loco, quum sit *Petro* dictum a Christo, *Tibi*

(28) In suis *pro sacra Monarch. advers. Remp.* M. Antonii de Dominis *libris Apologeticis lib.* I. *cap.* 7.

(29) *Esa. cap.* XXII.

(30) *Luc.* XI.

„ *dabo Claves Regni Coelorum*, eximia quoque, „ ac singularis aliqua potestas *Petro* concessa est. „

VII. Id etiam confirmat *Origenes* (31). « At „ quoniam, *inquit ille,* prae iis, qui ter argue- „ runt, peculiare aliquid *Petro* tribui oportebat, „ etiamsi de *Petro,* et qui ter fratres arguerunt, „ commune aliquid dictum, privatim illud *Petro* „ adtributum est: *dabo tibi Claves Regni Coelo-* „ *rum,* priusquam illud: *Quaecumque adligaveritis* „ *super terram etc.* Ac sane si ad Evangelica scri- „ pta animum diligenter appellamus, ibi magnum „ inveniemus discrimen, et excellentiam eorum, „ quae *Petro* prae iis, quae aliis dicta sunt, etiam „ in iis rebus, quae *Petrum* inter, eosque, qui „ ter fratres obiurgaverunt, communes esse vi- „ dentur. Nec enim exigua differentia est, Claves „ non unius Coeli *Petrum,* sed plurimorum adce- „ pisse, et quaecumque super terram adligaverit, „ non in uno coelo, sed in omnibus ligata esse, „ prae pluribus aliis, qui super terram et adli- „ gant, et solvunt, ita ut haec adligata et soluta „ sint, non in coelis, sicut *Petro* concessum est, „ sed in uno coelo. „ *Nimis subtilem* hanc discriminis *Petrum* inter, caeterosque Apostolos rationem *Maldonatus* appellat; inanem si Anonymus dixerit, non admodum repugnabo. Id mihi satis, *Origenem,* peculiare aliquid, et excellentius *Petro* quam reliquis Apostolis promissum agnovisse.

(31) *Comm. in Matth. Tract.* I.

CAPUT II.

QUAM CHRISTUS MATTH. XVIII. APOSTOLIS PROMISERAT POTESTATEM, EAM ILLIS TRIBUIT IOH. XX.; QUAM VERO PETRO POLLICITUS FUERAT, ILLAM PETRO CONTULIT IOH. XXI. UTRAQUE COMPARATUR; NOVUMQUE INDE AD OMNIMODAM DIGNITATIS PETRUM INTER, CAETEROSQUE APOSTOLOS AEQUALITATEM DENEGANDAM ARGUMENTUM DUCITUR. LOCUS LUCAE XXII. AD IDIPSUM EXPLICATUR.

I. Hactenus de divinis Christi promissionibus. Nunc illas impletas videamus. Nemo est in Scripturis, ac Patribus paullulum versatus, qui quam Christus *Matth.* XVIII. Apostolis potestatem spoponderat, eam deinde ab eodem Christo illis collatam ignoret *Ioh.* XX. (1): *Adcipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis etc.* Possem id Patrum testimoniis confirmare. Nam et *Theophylactus* (2), *licet,* inquit, *ad* Petrum *tantum dictum sit illud:* Tibi dabo Claves etc. *tamen omnibus Apostolis datum est, quando dixit:* quorum remiseritis etc.; et *Beda* ait: Haec potestas (ligandi et solvendi) *cunctis sine dubio datur Apostolis, quibus ab eo post resurrectionem dicitur generaliter: Adcipite Spiritum Sanctum etc.* Verum his opus minime est. Ad PETRUM potius nos convertamus.

(1) Ioh. XX. 22. 23.
(2) *In* Matth. *cap.* XVI.

II. Non una est de tempore, quo *Petrus* promissam sibi a Christo auctoritatem adceperit, Patrum sententia. Sunt enim non pauci, qui ad Evangelica Christi verba, quae geminam nobis allegoriam ingerunt, duplex concessae huiusce potestatis tempus distinguant, clavesque simul cum Apostolis *Petro* collatas, *Iohannis* autem XXI. *Petrum* constitutum Ecclesiae fundamentum velint. Sunt alii, qui *Petro* quidem cum Apostolis claves *Iohannis* XX. tributas fatentur; non tamen illas, quas *Matth.* XVI. Dominus ei promiserat, sed quas omnibus Apostolis *Matth.* XVIII. pollicitus fuerat; tum porro desponsam pridem *Petro* cum clavium, tum principis post Christum fundamenti potestatem (quae una tandem erat duplicis huius translationis exornatione designata amplissima quaedam, ut supra diximus, eaque ordinaria, atque in successoribus perennatura in omnes, ipsosque Apostolos Ecclesiastici regiminis auctoritas), *Ioh.* XXI. traditam fuisse statuant.

III. De primis dicamus. Hi *Petro* quidem, atque omnibus Apostolis simul claves fuisse *Iohan.* XX. creditas sentiunt; *Petro* tamen peculiari quadam ratione. Sic *Eucherius* (3) ait: *Tu es Christus Filius Dei vivi: decuerat enim, hoc* Petrum *respondisse, quatenus ipse esset Princeps fidei Christianorum, qui erat Princeps Apostolo-*

(3) *Hom. de Natali* PETRI, quam *Dupinius Eucherio* tribuit, licet alii aliter sentiant.

rum.... Et tibi dabo Claves Regni Coelorum. Hoc enim quod PRINCIPALITER Petro *dicitur, caeteris quoque Apostolis dictum esse intelligi debet; et non tantum Apostolis, verum etiam Episcopis et Sacerdotibus. Rhabanus* quoque *Maurus* in eamdem sententiam, *sed ideo,* inquit (4), *Beatus* Petrus, *qui Christum bona fide confessus, vero est amore sequutus,* SPECIALITER *Claves Regni Coelorum, et Principatum iudiciariae potestatis adcepit, ut omnes per Orbem credentes intelligant, quod quicumque ab unitate fidei, vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec peccatorum vinculis absolvi, nec ianuam possint Regni Coelestis ingredi.* Similia *S. Petrus Damianus* docet his verbis (5): *Licet omnes Sancti Apostoli unius privilegii dignitatem, unius fastigii celsitudinem, nec disparem coelestis gratiae comprobentur habere virtutem. Nam quod Beato* Petro *Dominus Claves Regni Coelorum speciali quadam voluit traditione committere, hoc propterea factum est, ut unitatem commendaret. Caeterum quidquid uni specialiter dedit, communiter omnibus contulit.* Enimvero *si principaliter* PETRO dictum est: *Tibi dabo;* si claves ille *specialiter* adcepit; *si speciali quadam* eas Dominus *Petro voluit traditione committere;* si illi *singulariter* creditae sunt; an non ipsa illa caeteris

(4) *In cap.* XVI. **Matth.** *lib.* V.
(5) *Serm.* IV. *de* **S. Barthol.**

communi traditione aliis a Christo praelatus fuit? Cur autem hoc, nisi Primatus caussa? Quam quidem rationem *Rhabanus*, et *Petrus Damianus* aperte indicant, hic dum ait *hoc propterea factum esse* a Domino, *ut unitatem commendaret;* ille dum idipsum iis verbis, *ut omnes per orbem credentes etc.* explicatius evolvit. Aliam neque ad Primatum *Petri* exprimendum minus aptam huius rei caussam adfert his antiquior S. Leo M. (6): *Propter quod dicitur Beatissimo* Petro: Tibi dabo Claves Regni Coelorum..... *Transivit quidem in alios Apostolos ius potestatis istius, et ad omnes Ecclesiae Principes decreti huius constitutio commeavit: sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur.*` Petro *enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiae rectoribus* Petri *forma praeponitur.* Quaenam autem haec *Petri* forma sit, quam cunctis Ecclesiae Rectoribus praepositam fuisse *Leo* adnotavit, ex *Optato* discamus (7): « Tamen bono unitatis Beatus *Pe-*
» *trus,* cui satis erat, si post quod negavit, so-
» lam veniam consequeretur, et praeferri Apo-
» stolis omnibus meruit, et Claves Regni Coelo-
» rum communicandas caeteris solus adcepit....
» Ecce, ut supra dictum est, caeteris non agno-
» scentibus, solus agnovit, caeteris non promit-
» tentibus, solus promisit, caeteris nec semel ne-

(6) *Serm.* III. *ann. Adsumpt. suae cap. 3.*
(7) *Lib.* VI.

„ gantibus, ter solus negavit, et tamen bono „ unitatis de numero Apostolorum separari non „ meruit. Unde intelligitur, omnia ordinata esse „ providentia Salvatoris, ut ipse adciperet Cla- „ ves. Interclusa est malitiae via, ne Apostoli „ animo licentiam iudicandi conciperent, et se- „ vere contemnerent eum, qui negaverat Chri- „ stum. Stant tot innocentes, et peccator adcipit „ Claves, ut unitatis negocium formaretur. Pro- „ visum est, ut peccator aperiret innocentibus, „ ne innocentes clauderent contra peccatores. „ Quod sane perinde est, ac si *Optatus* dixisset, in *Petro* unitatis originem fuisse institutam, ut alii eius, a quo suae ipsorum potestatis origo esset, exemplo peccatorum misererentur.

IV. Ad alios Patres transeamus. Ex his, qui primatum Clavium et fundamenti allegoriis antea adumbratum *Petro* nonnisi *Ioh.* xxi. collatum volunt, aliqui Claves ipsas Apostolis traditas in Clavibus *Petro* desponsis agnovere. Qua in re ut in *Antifebronio vindicato* monui (8), duo cum primis spectarunt, nempe, ut vel *Novatianos* refellerent, qui remittendorum peccatorum potestatem in Ecclesia esse inficiabantur; vel schismaticos docerent, frustra illos, qui unitatem cum *Petro*, eiusque *Cathedra* non servarent, de catholica communione gloriari. Cum *Novatianis* res erat *Ambrosio*, dum scriberet (9): *Quod* Petro,

(8) *Tom.* I. *pag.* 283.
(9) In *Ps.* XXXVIII.

caeteris Apostolis dicitur: Tibi dabo Claves Regni Coelorum, ut solvas, et liges; hoc Novatianus *non audivit, sed Ecclesia Dei audivit. Ideo ille in lapsu, nos in remissione; ille in impoenitentia, nos in gratia. Quod* Petro *dicitur, Apostolis dicitur; non potestatem usurpamus.* Eosdem *Novatianos* passim insectatur *S. Augustinus.* Hinc *nec eos audiamus,* inquit (10), *qui negant, Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque dum in* Petro *Petram non intelligunt, et nolunt credere datas Ecclesiae Claves Regni Coelorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Optatus* quoque *Novatianos* refellit, dum ait (11): *An vero soli* Petro *dantur Claves Regni Coelorum, nec alius quisquam eas adcepturus? Quod si dictum, tibi dabo Claves Regni Coelorum, commune est, cur non simul omnia, et quae dicta sunt, et quae sequuntur, velut ad* Petrum *dicta, sunt omnium communia?* Alii autem schismaticos confutabant, quemadmodum *Fulgentius* (12) iis verbis: *In sola ergo Ecclesia Catholica datur, et adcipitur remissio peccatorum, quam ipse sponsus unam dicit esse columbam suam, unam electam suam, quam super petra fundavit, cui Claves Regni Coelorum dedit, cui etiam potestatem ligandi, solvendique concessit, sicut Beato* Petro *veritas ipsa repromittit dicens:* Tu es *Petrus*, et super hanc Petram etc.

(10) Lib. *de Agone Christian.* cap. 31.
(11) Lib. VII. *de Schism. Donat.*
(12) Lib. I. *de remiss. peccat.* cap. 19.

Ab hac Ecclesia, quae Claves Regni Coelorum adcepit, quisquis foris est, non coeli viam graditur. Quorum similia scripsit *S. Cyprianus* (13): Petro *primum Dominus, super quem aedificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit, et ostendit, potestatem istam dedit, ut inde solveretur in Coelis, quod ille solvisset in terris. Et post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur, dicens:* Sicut misit me Pater, et ego mitto vos etc. *Unde intelligimus nonnisi in Ecclesia Praepositis, et in Evangelica lege, ac dominica ordinatione fundatis licere baptizare, et remissam peccatorum dare; foris autem nec ligari aliquid posse, nec solvi, ubi non sit, qui aut ligare possit aliquod, aut solvere.* His adsentitur *Beda* (14). *Ideo Beatus* Petrus..... *specialiter Claves Regni Coelorum, et principatum iudiciariae potestatis adcepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei, vel societatis illius qualibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec ianuam possint Regni Coelorum ingredi.* Claves igitur, quas in *Petro* Apostolis quoque promissas hi Patres intellexerunt, claves sunt illius potestatis, quae *Ioh.* xx. cum Apostolis omnibus fuerat deinde a Christo communicanda. Quare *S. Gaudentius* quum dixisset (15): *omnes Apostoli, Christo surgente, in*

(13) *Ep. ad* Iubaian. LXXII. *Oxon. edit.*
(14) *Hom. de Sanct.* Petr. pag. 112.
(15) *Tract. in die ordinat. suae.*

Petro *Claves adcipiunt, quinimmo cum* Petro *Coelestis Regni Claves ab ipso Domino adcipiunt,* recitat continenter illa *Ioh.* xx. *Adcipite Spiritum Sanctum etc.* Immo ipse *S. Augustinus* (16) id diserte tradit. Reddo verba: *Dominus* Iesus *discipulos suos ante Passionem suam elegit, quos Apostolos nominavit. Inter hos pene ubique solus* Petrus *totius Ecclesiae meruit gestare personam; propter ipsam personam, quam totius Ecclesiae solus gestabat, audire meruit:* Tibi dabo Claves Regni Coelorum. *Has enim Claves non homo unus, sed unitas adcepit Ecclesiae..... Nam ut noveritis Ecclesiam adcepisse Claves Regni Coelorum, audite in alio loco, quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis:* Adcipite Spiritum Sanctum; *et continuo:* si dimiseritis peccata, dimittentur eis; si cuius tenueritis, tenebuntur. *Hoc ad Claves pertinet, de quibus dictum est:* quae solveritis in terra etc. Quo ex loco cognosci facile potest, *Augustinum,* aliosque Patres id maxime spectasse, quum aut Claves Apostolis omnibus datas, aut *Petrum* pro omnibus Claves adcepisse, idque genus alia tradiderunt, ut Ecclesiasticam iurisdictionem promissam Apostolis *Matth.* xviii. collatam autem *Ioh.* xx. adhuc in Ecclesia Catholica, et in sola Catholica Ecclesia perstare, nec cum Apostolis exstinctam fuisse docerent. Eam autem potissimam potestatem illos intellexisse, quae in

(16) *Serm.* cviii. *de Divers. cap.* 2.

peccatorum remissione versatur, vel ex eo constat, quod illam dicant non Apostolorum solum, aut Episcoporum, sed etiam Presbyterorum propriam. Sanctus certe *Eucherius* (17) ait, ut vidimus, *hoc enim, quod* PRINCIPALITER Petro *dicitur, caeteris quoque Apostolis dictum esse intelligi debet; et non tantum Apostolis, verum etiam Episcopis et Sacerdotibus.* Consentit *Beda* (18): *Et quodcumque ligaveris etc. Haec potestas cunctis sine dubio datur Apostolis; quibus ab eo post resurrectionem dicitur generaliter:* Adcipite Spiritum Sanctum etc. *Nec non Episcopis, et Presbyteris, et omni Ecclesiae idem officium committitur.* Aliorum quoque Patrum hac de re mentem *Magister sententiarum* exhibet (19): *Quod autem hanc potestatem habeant omnes Sacerdotes,* Hieronymus *testatur super illum locum Evangelii, ubi Dominus dicit* Petro: Tibi dabo Claves Regni Coelorum: *habent enim,* inquit, *eamdem iudiciariam potestatem omnes Apostoli; habet et omnis Ecclesia in Episcopis et Presbyteris.* Hanc autem quum Clavium nomine designare mos esset, nec alius occurrat Sacrarum Scripturarum locus, in quo *Clavium* potestas memoretur, nisi *Matthaei* XVI. in illis verbis: *Tibi dabo Claves,* quemadmodum proximo capite animadverti, tanto securius ea verba appellabant, quo certius in illis

(17) *Loc. cit.*
(18) *Loc. cit.*
(19) *Lib.* IV. *Dist. 19.*

Petrum Ecclesiasticae omnis potestatis veluti fontem constitutum intelligebant.

V. Verum quod isti Claves quoque Apostolis omnibus creditas voluerint in *Petro* aliis Apostolis fuisse antea promissas, adeo *Petri* supra caeteros Apostolos dignitatem non minuit, ut potius extollat. Nam (praeterquamquod hoc ipsum ad *Petri* Primatum referunt, quemadmodum recitata *Ambrosii, Augustini, Optati,* aliorumque Patrum testimonia satis produnt) hi iidem Patres alias praeterea, illasque praestantiores agnovere Claves *soli Petro* promissas, nec caeteris Apostolis communes. Prodeat primus *S. Augustinus,* cuius sententiis Anonymus maxime abutitur. Augustini verba sunt (20): *Propter ipsam personam, quam totius Ecclesiae* SOLUS *gestabat, audire meruit:* Tibi dabo Claves Regni Coelorum. Quum autem Christus Apostolis omnibus dixit: *quorum remiseritis etc.* tunc *Augustino* ipso teste omnes Apostoli *personam gerebant Ecclesiae,* ET SIC *eis hoc dictum est, tamquam ipsi diceretur Ecclesiae.* Non igitur eaedem omnino Claves, quae *Petro* promissae fuerant, omnibus deinde Apostolis collatae fuerunt. Ut quid enim non etiam ubi *Petro* desponsae fuerunt, Apostoli *personam* gessissent *Ecclesiae,* sed SOLUS *Petrus?* contra quum Apostolis collatae, non solus *Petrus,* sed omnes Apostoli personam gessissent Ecclesiae? Rationem

(20) *Serm. 295. de diversis al. 108.*

ipse *Augustinus* adfert. *Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita aerumnosa: cuius Ecclesiae* Petrus *Apostolus* PROPTER APOSTOLATUS SUI PRIMATUM *gerebat figurata generalitate personam* (21); et alibi (22): *Sicut enim quaedam dicuntur, quae ad Apostolum* Petrum *proprie pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi quum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam* PROPTER PRIMATUM, *quem in discipulis habuit; sicuti est, Tibi dabo Claves Regni Coelorum.* Quid ad rem nostram praeclarius? Quum scilicet Apostolis Christus aiebat: *Quorum remiseritis etc.* de sola ea, quam omnibus communem esse volebat, potestate loquebatur. Non igitur tum SOLUS *Petrus* personam Ecclesiae gestare debuit, sed omnes gesserunt. Verum ubi Claves, quas inter etiam fuisse Claves cum caeteris Apostolis communicandas non nego, uni *Petro* promissae fuerant, Primatus potestas erat solius *Petri* propria; solus ergo *Petrus* Ecclesiae personam, ut eius scilicet princeps gerere debuit, non Apostoli, *in quibus ille primatum habuit.*

VI. At enim, inquit Anonymus (23): *si haec verba:* Tibi dabo Claves Regni Coelorum, *et alia eiusmodi, quibus innititur* Petri *Primatus iurisdictionis* (ut ex *Augustino* nuper audivimus), *il-*

(21) *Tract.* CXXIV. *in Ioh. n. 5.*
(22) *Super Ps.* CVIII.
(23) *Pag. 158.*

lustrem intellectum non habent quum ad Petrum solum referuntur; in his ergo non est inscripta primatus huius praerogativa, quae sicut in se ipsa valde illustris est, ita non minus erga nos sublimis. Deinde (24) animadverti Anonymus iubet, alio ex capite, quem in *Augustino* deprehendere visi sumus, Primatum *Petri* nutare, *quum non dicat* AUGUSTINUS Petrum *Primatum habuisse* in discipulos, *quod Primatum iurisdictionis indicare posset; sed* in discipulis, *quo solus ordinis primatus designatur.* Haec ille, ea ad *Augustini* mentem adsequendam proferens, quae ab illa maxime abhorreant. Adeone coecus hic Auctor est, ut non videat, quod tamen *Augustinus* heic apertissime ait, *ad Apostolum* Petrum PROPRIE *pertinere* illud: *Tibi dabo Claves Regni Coelorum?* Si enim haec ad illum PROPRIE, litterali scilicet sensu, *pertinent, illustris* ille intellectus, quem ea non habere Sanctus Antistes monet, *nisi quum referuntur ad Ecclesiam,* quid aliud esse potuit, nisi mysticus quidam sensus, qui nihil ad Primatus minuendam dignitatem facit? Quo eodem sensu alibi (25) ab eodem *S. Augustino* dictum novimus: *Quia non unus est* Iudas. *Unus malus corpus malorum significat, quomodo* Petrus *corpus bonorum, immo corpus Ecclesiae, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesiae Sacramentum,*

(24) *Pag. 160.*
(25) *In Ioh. Cap.* XII. *Tract.* II.

non ei diceret Dominus: Et tibi dabo Claves Regni Coelorum. Illustris igitur sane est Primatus praerogativa, sed ea non *ab illustri* illo *intellectu* pendet (mystico enim sensu nemo ad confirmanda fidei dogmata prudens utetur); pendet *a proprio*, et *litterali*. Quum ergo hoc sensu *Petro* Ecclesiae personam in mystico tantum sensu gerenti Claves promissae primum sunt, ac deinde traditae, quemadmodum *Iudas,* qui nonnisi mystico sensu malorum corpus significabat, Christum proprie prodidit, quid quaeso *Petri* Primatui obesse potest, quod ea Clavium promissio, atque adceptio mystice explicari nequeat, nisi quum refertur ad Ecclesiam? Ludit certe, ac nugatur in re tam gravi Anonymus, dum verba illa *in discipulis* expendi iubet, quasi vero Primatum *inter discipulos* (id enim *Augustinianum* illud *in discipulis* significat) habere Petrus potuerit, quin *in* ipsos quoque *discipulos* haberet.

VII. Id autem *Augustino* plane persuasum fuit. Quare adversus *Donatistas Cypriani* auctoritate abutentes quum disputaret (26), postquam eiusdem *Cypriani* locum ex epistola ad *Quinctum* adtulerat: *nam nec* Petrus, quem PRIMUM *Dominus elegit*, ET SUPER QUEM AEDIFICAVIT Ecclesiam suam, quum secum *Paullus* de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter adsumpsit, ut diceret se

(26) *De Bapt. contr. Donat. Lib.* II. *cap.* I. *num.* 2.

primatum tenere, et obtemperari a novellis, et posteris sibi potius *oportere*, addidit: *Ecce ubi commemorat* Cyprianus.... *Apostolum* Petrum, IN QUO PRIMATUS APOSTOLORUM TAM EXCELLENTI GRATIA PRAEEMINET, *aliter quam veritas postulabat, de circumcisione agere solitum a posteriore Apostolo* PAULLO *esse correctum etc. Puto, quod sine ulla contumelia* Cyprianus *Episcopus* Petro *Apostolo comparatur, quantum adtinet ad Martyrii coronam. Caeterum magis vereri debeo, ne in* Petrum *contumeliosus existam.* Quis *enim nescit*, ILLUM APOSTOLATUS PRINCIPATUM *cuilibet Episcopatui praeferendum?* Ait quidem Anonymus non alium heic neque a *Cypriano*, neque ab *Augustino Petri* Primatum agnosci, quam antiquitatis: territus autem ab illis verbis *in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia praeeminet*, praeeminere *ex Augustini* sententia fatetur (27), *at non certe*, inquit, *ratione potestatis, aut auctoritatis; sed tantum propter singulares gratias, quibus a Deo donatus erat, et propter virtutes, ac conversiones, quarum praecipue minister fuerat, sonant haec verba*, tam excellenti gratia praeeminet; denique *Apostolatus* Principatum, de quo *Augustinus*, intelligi iubet *non de Primatu* Petri, *sed de dignitate Apostolica, qua Principes Ecclesiae efficiebantur, qui ad eam evecti erant.* Nam et *Augustinus* ipse *Paullo* eumdem Apostolatus principa-

(27) *Pag. 168.*

tum alibi (28) tribuit: *Nec ipsum*, inquit, *Apostolum eiusdem regulae summitate arbitremur fuisse perfectum, non solum in illa legis iustitia, quam inter damna, et stercora deputat in comparatione eminentissimae iustitiae, quae in fide Christi est; verum etiam in ipso quoque Evangelio, ubi et tanti Apostolatus meruit Principatum.* Nolim ego in eam quaestionem ingredi, num *Petrus* revera spectato suae vocationis tempore primus Apostolorum dici possit. Sunt enim cum inter *Graecos*, tum inter Latinos veteres Scriptores, qui huncce temporis primatum *S. Andreae* tribuant (29). Ut ut est, frustra Anonymus *Cypriani*, et *Augustini* sententiam in suum errorem transferre nititur. *Cyprianus* certe *Petri* Primatum non ex una electionis antiquitate aperte derivat. Nam electioni addit, *et super quem aedificavit Ecclesiam suam*, eumque *Petri* Primatum fuisse indicat, ut ille *obtemperari a novellis, et posteris sibi oportere* arroganter si vis, vere tamen adfirmasset. Quid ad haec antiquitatis Primatus? Numquid Christus se super *Petrum* aedificaturum Ecclesiam suam recepit, quod vocationis tempore caeteros Apostolos antecesserat, et non potius, quia ipsum Filium Dei vivi confessus fuerat? aut antiquitatis primatus obedientiae a iunioribus exigendae ius confert? Itaque quum

(28) *De peccat. merit. et remiss. lib.* II. *cap. 13.*

(29) Vide Raynaud. *in Coron. aur. praenot.* I. et Sandinium *in Hist. Apost. de* S. Andr. §. I.

Augustinus eum *Cypriani* locum *Donatistis* obiecerit, somniantis est, eum de alio, quam quem *Cyprianus* designat, primatu, ac principatu loquentem sibi fingere. Quamquam vel ipse *Augustinus,* nisi in meridie coecutire placeat, se non antiquitatis, sed auctoritatis, ac potestatis primatum spectasse palam facit, dum ait: *in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia praeeminet.* Insulsum enim atque absurdum est, haec *ad singulares gratias, quibus a Deo* Petrus *donatus fuerat, vel ad virtutes ac conversiones, quarum praecipue minister fuerat*, cum Anonymo nostro detorquere. *Excellens* enim illa, *ac tam excellens gratia,* quam *Augustinus* praedicat, non ad *Petrum,* sed ad Primatum in *Petro praeeminentem* refertur, ac Primatum vel singulari quodam, atque eximio Dei dono *Petro* collatum, vel amplissima dignitate divinitus instructum significat. Utrumlibet autem *Augustinum* denotasse adfirmemus, Primatum auctoritatis, ac potestatis ab eo proditum evidens erit; unius enim ad Apostolatum vocationis primatus Gratia quidem est, sed non *tam excellens, ut in illa Primatus Apostolorum in Petro praeeminere*, nisi per imprudentem quamdam hyperbolem non dicam in gravi cum haereticis disputatione, cuiusmodi ea erat *Augustini* disceptatio, sed ne in familiari quidem aliqua oratione a quoquam dicatur. Denique quod Anonymus de *Paulli* Principatu addit, perperam huc trahitur, ubi non de quocumque principatu

Apostolatus, sed de ILLO PRINCIPATU APOSTOLATUS agitur: de *illo,* inquam, de quo *Augustinus* fuerat antea loquutus; hunc enim potestatis primatum fuisse demonstravimus.

VIII. Sed nemo ista omnia, quae de Clavibus disputavimus, distinctius *Cypriano* proposuit. Ait is alio loco, nimirum in libro *de unitate Ecclesiae:* « Loquitur Dominus ad *Petrum: Ego dico* » *tibi,* inquit, *quia tu es* Petrus, *et super hanc* » *Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae* » *inferorum non vincent eam. Et tibi dabo Claves* » *Regni Coelorum; et quae ligaveris super ter-* » *ram, erunt ligata et in Coelis; et quaecumque* » *solveris super terram, erunt soluta et in Coelis.* » Et iterum eidem post Resurrectionem suam di- » cit: *Pasce oves meas.* Super illum unum aedi- » ficat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat » oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post » Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, » et dicat: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos:* » *adcipite Spiritum Sanctum; si cuius remiseritis* » *peccata, remittentur illi; si cuius tenueritis, te-* » *nebuntur;* tamen ut unitatem manifestaret, uni- » tatis eiusdem originem ab uno incipientem sua » auctoritate disposuit. » Viden? ut duo his verbis *Cyprianus* optime coniungat, potestatem, quam Christus *Ioh.* XX. Apostolis omnibus dedit, utique parem, et eam quam *Matth.* XVI. *Petro* promiserat, ac primum *Ioh.* XXI. impertiit multo eminentiorem, *unitatis originem ab uno incipientem sua*

auctoritate disponens. Par illa quum fuerit, *hoc erant utique et caeteri Apostoli, quod fuit* Petrus, *pari consortio praediti et honoris, et potestatis,* si honorem, et potestatem adtendamus, quae Apostolis collata fuit verbis ex *Ioh.* xx. capite a *S. Cypriano* recitatis: *sicut misit me Pater etc. si cui remiseritis etc.* Hinc tamen falso quis colligat, *hoc fuisse et caeteros Apostolos, quod fuit* Petrus, *pari consortio praeditos, et honoris, et potestatis,* si verba haec *Matth.* xvi. et *Ioh.* xxi. capite consideremus: *Loquitur Dominus ad* Petrum: Ego dico tibi, quia tu es *Petrus etc. Et iterum eidem post Resurrectionem suam dicit:* Pasce etc. Minime vero. Haec verba quum *exordium ab unitate proficisci, ut Ecclesia una monstretur,* aperte indicent, ampliorem altera potestatem uni *Petro* concessam significant. An vero pugnat, parem *Ioh.* xx. Apostolis potestatem datam fuisse, *Ioh.* xxi. praestantiorem *Petro*? Nemo sane id dixerit. Nullus quoque conflictus igitur est *Cypriani* parem Apostolis cum *Petro* potestatem ex *Ioh.* xx. capite adserentis, maiorem *Petro* ex *Ioh.* xxi. capite tribuentis, neque alterius dicti veritas alterius sententiae veritatem infringit. Huc spectat illud *S. Leonis M.* (30): *Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et quum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut caeteris praeemineret.* Pro-

(30) *Ep.* xii. *al.* lxxxiv. *ad* Anastas.

pius ad *Cypriani* sententiam *S. Hieronymus* (31). *At dicis: super Petram fundatur Ecclesia, licet id ipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti Claves Regni Coelorum adcipiant, et ex* AEQUO *super illos fortitudo Ecclesiae solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio*. Clarissime autem *Cypriani* mentem adsequutus est *Gelasius* Papa (32) his verbis: *Numquidnam reliqui Sancti, et beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat adfirmare? Sed ut Capite constituto, schismatis tolleretur occasio, et una monstraretur compago Corporis Christi... Duodecim certe fuerunt Apostoli, paribus meritis, parique dignitate suffulti; quumque omnes aequaliter luce fulgerent, unum tamen Principem esse ex illis voluit Christus*. Igitur sive cum quibusdam Patribus Claves ita Apostolis omnibus *Ioh*. xx. adtributas fuisse dicamus, ut in *Petro* hae quoque illis *Matth*. xvi. desponsae fuerint, sive cum aliis Claves *Ioh*. xx. *Petro* traditas nihilo plus potestatis, quam quae tunc caeteris omnibus Apostolis collata fuit, habuisse statuamus; eminentissimam tamen aliam *Petro* potestatem *Ioh*. xxi. concreditam ex omnium Patrum hac in re non dissidentium sententia fatendum erit.

IX. Audiatur enimvero *Ambrosius* (33). *Non*

(31) *Lib*. I. *adv*. Iovin.

(32) *Tract. advers. Graec*.

(33) *Lib*. X. *in Luc. cap*. 24.

est igitur dubium credidisse Petrum, *et credidisse, quia dilexit, dilexisse, quia credidit. Unde et contristatur, quia et tertio interrogatur: amas me? Is enim interrogatur, de quo dubitatur; sed Dominus non dubitat, qui interrogat, non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in Coelum, amoris sui nobis velut Vicarium, relinquebat. Sic enim habet: Simon Iohannis* diligis me? Utique tu scis Domine, quia amo te. Dicit ei *Iesus:* Pasce agnos meos. *Bene conscius sui, non ad tempus adsumptum, sed iamdudum Deo cognitum* Petrus *testificatur adfectum. Quis enim alius, qui de se hoc facile profiteri possit? Et ideo, quia solus profitetur ex omnibus,* OMNIBUS ANTEFERTUR; utique in Dominici gregis cura. Hinc *S. Leo M.* ad *Viennenses* Provinciae Episcopos scribebat (34): *Cui* (PETRO) *quum prae caeteris solvendi, et ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ovium specialius cura mandata est.* Quid autem eo adverbio *specialius* indicetur, ipsemet *Leo* alibi explicat (35): *in illis* (diebus) inquiens, *per insufflationem Domini infunditur Apostolis omnibus Spiritus Sanctus, et Beato* Petro *supra caeteros post Regni Claves ovilis Dominici cura mandatur. Leonis* vestigiis inhaesit *S. Gregorius* item M. (36) quum scriberet: *Cunctis enim Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto, et omnium*

(34) *Ep.* X. *cap.* 2.

(35) *Serm. de Adscens. cap.* 2.

(36) *Lib.* V. *epist.* 20.

Apostolorum Petro *Principi Apostolo* TOTIUS ECCLESIAE CURA *commissa est. Ipsi quoque dicitur: Petre* amas me? Pasce oves meas. Et post pauca: *Ecce Claves Regni Coelorum adcepit, et potestas ei ligandi, atque solvendi tribuitur,* CURA EI TOTIUS ECCLESIAE, *et Principatus committitur.* Quid? quod in Concilio *Lateranensi I. Stephanus Dorensis* in supplici ad *Martinum* Papam libello; *non solum*, inquit, *Claves Regni Coelorum creditae sunt ei, atque* IPSE TANTUMMODO... *eas... Princeps Apostolorum meruit* Petrus: *sed etiam, et pascere primus iussus est oves Catholicae Ecclesiae, quum Dominus dicit....* PASCE OVES MEAS: *et iterum ipse praecipue, ac specialiter* FIRMAM *prae omnibus habens.... et* IMMUTABILEM FIDEM, *convertere aliquando, et* CONFIRMARE *exagitatos consortes suos, et spiritales meruit* FRATRES; *utpote dispensative super omnes ab ipso....* Deo POTESTATEM *adcipiens, et sacerdotalem* AUCTORITATEM (37). His omnibus concinit *Theophylactus Acridensis* Archiepiscopus. *Quum*, inquit (38), *prandii finem ipse fecisset,* TOTIUS ORBIS OVIUM PRAEFECTURAM Petro *committit, non autem alii, sed huic tradidit.* Tandem ne in recitandis veterum testimoniis iusto prolixior sim, *Bernardi* testimonium adcedat ad *Eugenium* Papam ita scribentis (39): *Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute, et*

(37) *Apud Labb. Tom.* VI. *Concil. col. 102.*
(38) *In cap.* XXI. Ioh.
(39) *De Consid. Lib.* II. *cap. 8.*

indiscrete totae commissae sunt oves? Si me amas Petre, *pasce oves meas. Quas? Illius, vel illius populos Civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Qui non planum, non designasse aliquas, sed adsignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

X. Ecquis ista quum legit, Anonymo non irascatur, qui oves *Petro* commissas non alias fuisse, quam oves domus Israel cum *Luthero*, *Magdeburgensibus*, idque genus aliis Acatholicarum Sectarum Magistris impudenter adfirmat (40)? quasi vero *Petro*, uti *Paullo* Evangelium gentibus adnunciare non licuerit, atque utrumque cum Ethnicis, tum *Iudaeis* ad nostra sacra traducendis adlaborasse Divinae litterae non doceant. Sed vide huius tenebrionis stultitiam. Ut suum illud de solis *Iudaeis Petri* curae concreditis decretum probet, *praeceptum* in medium adfert (41) *a Christo omnibus Apostolis, consequenter et* Petro, *non multo post indictum, ut scilicet irent, docerent omnes gentes, et Evangelium omni creaturae praedicarent. Ut quid enim,* inquit, *inde mandatum paucos ante dies dedisset* Petro, *si per haec verba,* Pasce oves meas, *oves omnes tam ex Gentibus, quam ex Iudaeis futuras ipsi commendare Christus voluisset?* Neque animadvertit, vel hoc uno argumento ipsius interpretationem convelli. Si

(40) *Pag. 66.*
(41) *Pag. 68.*

enim *Petrus Ioh.* xxi. nonnisi *Iudaeorum* Apostolus fuerat a Christo constitutus, quei paucis post diebus ab ipso Christo *ire in mundum universum, et praedicare Evangelium omni creaturae* (42) non secus atque alii Apostoli iussus est? Hinc ergo discere poterat, oves *Petro* traditas non *Iudaeos* tantummodo fuisse, sed *omnem*, cui Evangelium praedicandum erat, *creaturam*, quum ab hoc praedicandi ubique terrarum Evangelii iure exceptus ille non fuerit. Quoniam vero a nobis quaerit, *ut quid idem mandatum paucos ante dies Christus dedisset* Petro, *si per haec verba:* Pasce oves meas, *oves omnes tam ex Gentibus, quam ex Iudaeis futuras ipsi commendare voluisset?* antequam haec percunctanti respondeamus, recolat tantisper, quae paullo post (43) subiunxit: *sed esto voces istae,* Pasce oves meas, *mandatum exprimant de omnibus ovibus pascendis, non solum domus Israel, sed et Gentium; quid inde possit inferri non video; reponent enim* Cyprianus, Basilius, Chrysostomus *non soli* Petro *hoc dictum fuisse, sed omnibus Apostolis.* Sinat iam, ex ipso vicissim sciscitemur: si omnibus Apostolis Christus praeceperat, ut omnes oves pascerent non solum *domus Israel,* sed et Gentium, ut quid paullo post idem illis mandatum indixit, et ire in mundum universum eos iussit praedicaturos Evangelium

(42) *Matth. ult.*
(43) *Pag. 74.*

omni creaturae? Et illud peto: quum Christus Apostolis omnibus non multo antea dixerat (44): *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Adcipite Spiritum Sanctum etc.* vel eamdem illis contulit potestatem, quam dum eos in *Petro* universae Ecclesiae Pastores constituisse dicitur, vel aliam; si eamdem, edisserat nobis Anonymus, undenam haec eiusdem potestatis iteratio: si aliam, non tam nobis, quam sibi respondeat (verba enim ipsius sunt) *quid tandem auctoritati* (iam collatae) *adiici, aut cuius egere poterat haec divina Missio* (45)? Dum quid reponat, secum ipse cogitat, hoc a nobis habeat responsum, *Petrum* quidem omnibus Christi ovibus datum fuisse Pastorem; at quum Dominus ante mortem Apostolis praecepisset (46): *in viam gentium ne abieritis, et in Civitates* Samaritanorum *ne intraveritis, sed potius ite ad oves, quae perierunt domus Israel,* quemadmodum Apostolorum Missio, ita et *Petri* cura intra *Iudaici* ovilis limites continenda videbatur. Igitur opus fuit, ut quos Apostolorum Missioni terminos posuerat, ipse evelleret: evulsit enimvero, dum Apostolis mandavit, *ut euntes in mundum universum docerent omnes gentes.* Ecclesiam autem dum novo hoc mandato dilatavit, suum quoque ovile, cuius nullis aliis definiti terminis, quam quibus Evangelii praedicatio continebatur, curam *Petro* cre-

(44) *Ioh.* xx.
(45) *Anon. pag. 78.*
(46) *Matth.* x. 5. 6.

diderat, amplificavit. Non ergo Christus Apostolos iubens ire in mundum universum, docere omnes gentes, et Evangelium praedicare omni creaturae, aut *Petro*, aut cunctis Apostolis potestatem seu nondum tributam contulit, seu collatam iteravit, ut Anonymus fingit; sed traditae iam potestatis fines quinam deinceps futuri essent, idest nulli, seu totius mundi ambitu circumscripti, explicavit.

XI. Quam optandum foret, ut novus hic dogmatistes dimisso hoc *Matthaei* loco, qui nihil ad rem facit, *Iohannis*, de quo agimus, caput XXI. cum eiusdem *Matth.* XVI. capite, quemadmodum ab Ecclesiae Patribus factum, diligenter comparasset. Vidisset profecto, promissionem qua Christus *Petro* recepit, se super illum aedificaturum Ecclesiam non ex solis *Iudaeis* conflatam, sed universam, eique daturum Claves Regni Coelorum, alicubi impleri debuisse; ubinam autem nisi *Iohannis* XXI.? « Et propterea etiam, *inquit* Bel- » larminus (47), quemadmodum *Matthaei* XVI. in » promissione Clavium *Simon Bar-Iona* appella- » tus est, ita quoque in exhibitione *Ioh.* ult. » *Simon Iohannis*, vel, ut est in Greco, *Simon* » *Iona* dictus est. Et sicut *Matth.* XVI. non ante » sunt ei Claves promissae, quam fidem suam sin- » gularem in Christum testaretur: ita *Ioh.* ult.

(47) *De Rom. Pont. lib.* I. *cap.* XII. Confer *Maldonatum* in hunc *Iohann.* locum.

„ non ante dictum est illi: *Pasce oves meas*, quam „ interrogatus esset, num plus caeteris Christum „ diligeret. Et sane nulla caussa erat, cur ita „ singulariter *Petro* diceretur: *Tibi dabo Claves;* „ et *Pasce oves meas;* atque id ob singularem eius „ fidem, et dilectionem, si nihil praeter caeteros „ adcepturus erat. „ Oggeret heic fortassis Anonymus (48), nihil potuisse *Petrum* praeter caeteros adcipere, quum Christus *Ioh.* xx. verbis illis: *Sicut misit me Pater, iuris, et loci sui possessores, ut ita loquar, constituerit Apostolos, missioni, quam ipse adceperat a Patre, aequalem eis conferens, ut peccata abolerent, ac iustitiam inter homines restaurarent; Spiritumque Sanctum, cuius solius virtute haec fieri poterant, insufflans eis. Quid enim tantae auctoritati adiici, aut cuius egere poterat haec divina Missio?* Immo vero et aliquid adiici poterat, et quidpiam erat, cuius egeret divina illa Missio. Nempe quam tunc Apostoli adceperant potestatem, ea in ipsos Apostolos a sociis exercenda non erat, sed in solos inferioris Apostolico ordinis Christianos; erat ergo quod adiici posset, auctoritas, inquam, in ipsos Apostolos. Huius vero auctoritatis divina ipsa Apostolorum Missio indigebat, unitatis scilicet efficiendae, et servandae caussa. Non id coniectando adfirmamus, sed veteres etiam in hoc Patres sequimur: *Dicit ei*, inquit *Eucherius* (49), pasce

(48) *Pag. 78.*
(49) *Hom. in Vig.* SS. Petri *et* Paulli.

oves meas. *Prius agnos, deinde oves commisit ei, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur* Petrus *agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres; regit et subditos, regit et Praelatos.* OMNIUM *igitur Pastor est, quia praeter agnos, et oves in Ecclesia nihil est. Si omnium;* ergo et Apostolorum Pastor *Petrus* erat: nam idem est dicere, *in Ecclesia nihil esse* praeter eos, quos *Petrus* regeret, ac Apostolos *Petro* fuisse commissos, quum eos Ecclesiae fuisse membra non sit dubitandum. Hoc idem docere in animo habuit *Leo,* quando dixit (50): *Et tamen de toto mundo unus* Petrus *eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et* OMNIBUS APOSTOLIS, *cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint,* OMNES *tamen proprie regat* Petrus. Quid aliud est dicere, ideo *Petrum* omnes Episcopos regere, quia ille *de toto mundo electus fuit, ut omnibus Apostolis praeponeretur*, quam *Petro* Apostolorum curam fuisse commissam? Sed caeteris missis praestat audire *S. Optatum Milevitanum* (51), qui ut *Donatistas* extra Catholicam Ecclesiam fuisse ostenderet, his verbis *Parmenianum* adgreditur: « Ergo probavimus, eam esse » Ecclesiam Catholicam, quae est in toto terrarum orbe diffusa; eius iam commemoranda sunt

(50) *Serm.* III. *Annuae Adsumpt. suae cap. 2.*
(51) *Lib.* II. *contr.* Parmen.

„ ornamenta, et videndum, ubi sint quinque do-
„ tes.... inter quas Cathedra est prima.... viden-
„ dum est, quis, et ubi prior Cathedram sederit.
„ Si ignoras, disce; si nosti, erubesce.... Igitur
„ negare non potes, scire te in Urbe Roma Petro
„ primo Cathedram Episcopalem esse collatam,
„ in qua sederit omnium Apostolorum caput Pe-
„ trus, unde et Cephas appellatus est: in qua
„ una Cathedra unitas ab omnibus servaretur; ne
„ caeteri Apostoli singulas sibi quisque defende-
„ rent: ut iam schismaticus, et peccator esset,
„ qui contra singularem Cathedram alteram col-
„ locaret. Ergo Cathedram unicam, quae est prima
„ de dotibus, sedit prior *Petrus etc.* „ Ex quibus perspicuum est, in ea *Optatum* sententia fuisse, ut Apostoli ipsi in una *Petri*, nempe sui ipsorum capitis, Cathedra unitatem servare debuerint, nec sibi singulares Cathedras vindicare potuerint, quum *una* et *singularis Petri* Cathedra fuerit.

XII. Anonymus quidem nihil non molitur, ut a molestissimo hoc *Optati* testimonio se se expediat; sed irrito prorsus, infelicique conatu. Ait ergo (52), Cathedram, de qua *Optatus,* esse *Cathedram Christianam, et Catholicam omnibus Apostolis communem, et in qua sedeant omnes Ecclesiae Pastores. Cathedra autem* Romana, inquit paullo post (53), *nota seu dos universalis Eccle-*

(52) *Pag. 148.*
(53) *Pag. 150.*

siae esse nequit, cum Urbi Romae *propria supponatur.* Miseret me enimvero hominis istius, qui non animadverterit, Cathedram *unam*, *unicam*, *singularem*, quam veluti primam Ecclesiae Catholicae dotem *Optatus* inculcat, eodem heic sensu usurpari, quo *Episcopatum unum Cyprianus* non semel appellat. « Sicut enim, inquit *Balleri-* » *nius* (54), unius Episcopatus partem singuli Epi- » scopi tenent propriam, ex quibus omnibus simul » cohaerentibus unus Episcopatus coalescit; ita » et Cathedrae unius partem tenent singuli, ex » quibus omnibus copulatis una Cathedra effici- » tur. At sicut Episcopatus unitas formatur in » *Petro*, quatenus omnes *Petro* supremo Episco- » po in unitate Communionis, et fidei adhaere- » scunt; ita quatenus omnes *Petri* Cathedrae utra- » que unitate adhaerent, Cathedra in *Petro* pa- » riter una efficitur; et hac ratione in ea *una* » *Cathedra unitas servatur ab omnibus*, *ne cae-* » *teri Apostoli singulas*, idest separatas Cathe- » dras, *sibi quisque defendant*, atque constituant.» Hincque idem *Cyprianus*, uti Episcopatum unum, ita et *Cathedram unam* vocat (55), sed *super petram Domini voce fundatam*. Igitur *Romana* Cathedra, etsi *Romae* propria sumitur, *nota* tamen est, et *dos universalis Ecclesiae*, quum ea sit, in qua sola unitas a totius orbis Cathedris ser-

(54) *De vi ac ratione primatus pag. 119.*
(55) *Ep. 40.*

vari debeat, et contra quam qui Cathedram alteram collocat, *iam schismaticus, et peccator sit.* Nec sane ob aliam caussam unius *Romanae* Sedis successionem in medium *Optatus* adfert, nisi quod ea sola a Christo per *Petrum* constituta est unitatis origo, radix, et centrum. Quod quidem *Optato* tam certo persuasum erat, ut istam ipsam successionem daturus non *Romanae* Cathedrae, sed *unicae* Rectores se percensurum profiteatur: *Ergo,* inquit, *Cathedram* UNICAM, *quae est prima de dotibus, sedit prior* Petrus; *cui successit* Linus etc. Pugnat ergo cum *Optato* Anonymus, qui *Cathedram Romanam* negat *notam* seu *dotem* universalis Ecclesiae *esse posse. Cathedra* enim *unica* auctore *Optato, est prima de dotibus universalis Ecclesiae:* porro Cathedra *Romana* est *Cathedra unica,* quum *Cathedrae unicae* Rectores non alios quam *Romanos* Episcopos *Optatus* habuerit; *Cathedra* igitur *Romana* ex *Optati* sententia *est prima de dotibus universalis Ecclesiae.*

XIII. Exploratior erit nostri huius argumenti vis, si quo tota *Optati* disputatio spectet, consideremus: nempe ut aperti schismatis reos *Donatistas* coarguat, qui a *Romanae* Sedis Communione seiuncti essent. Quid enim quaeso *Optatus* hoc suo argumentandi genere effecisset, nisi unitatem Communionis cum *Petri* Cathedra necessariam non ipse solum existimasset, sed ipsi quoque, quibuscum disputabat, Donatistae habuissent? Nihil omnino. Ne ipse quidem Anonymus

inficiari hoc ausus est: reponit tamen (56), ideo hac *Optatum* ratione usum fuisse, « quia quum » nullam in *Africa* Ecclesiam ab aliquo Aposto- » lorum fundatam ostendere posset, ad Ecclesiam » *Romanam* confugere oportuit, unde fides fuerat » per *Africam* disseminata, et quae visibiliter » Cathedram Apostolicam possidebat, fundata sci- » licet, ut putabat *Optatus*, ab Apostolo *Petro*. » Sed eam rationem adferens nullum inde Eccle- » siae Romanae privilegium, ut ipsi proprium » adscribere intendebat; hocque ex eo patet, quod » eiusdem Cathedrae possessionem etiam demon- » stret ex communione cum Ecclesiis *Asiae* a » *Iohanne* fundatis. *Mittite illum Angelum, si* » *potestis* (inquit Donatistis) *excludat septem An-* » *gelos, qui sunt apud socios nostros in* Asia; *ad* » *quorum Ecclesias scribit Apostolus* Iohannes, » *cum quibus Ecclesiis nullum communionis proba-* » *mini habere consortium....* Hinc, *inquit*, mani- » festum est omnem Cathedram a quovis Apostolo » positam, iudice *Optato*, Cathedram esse legiti- » mam, cum qua Communione iungendus est quis- » quis Catholicus et esse, et dici vult, seu *Ro-* » *mae*, seu *in Asia* fuerit haec Cathedra; et si » in eo insistat, quod *Petrus* primus Apostolo- » rum Cathedram Episcopalem Romae tenuerit, » non ideo insistere, quia *Petrus* Apostolorum » erat primus, sed tantum quia erat Apostolus.»

(56) *Pag. 152.*

Itane vero? Atqui nihil nugacius, nihil inscitius, nihil ab *Optati* mente alienius effutiri a quoquam potuit. *Si in eo insistat* (Optatus) *quod* Petrus *primus Apostolorum Cathedram Episcopalem* Romae *tenuerit, non ideo insistit, quia* Petrus *Apostolorum erat primus, sed tantum quia erat Apostolus?* Quid ergo adtinebat, *omnium Apostolorum caput* Petrum, *unde et Cephas appellatus est*, praefari? Quid Petro primo *Cathedram Episcopalem* esse *collatam* monere? quid in Cathedra, in qua sederit *Petrus, unitatem ab omnibus* (etiam Apostolis servandam esse, *ne caeteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent*) palam edicere? *At cum qualibet Cathedra a quovis Apostolo posita,* iudice *Optato, communione iungendus est, quisquis Catholicus et esse, et dici vult.* Distinguat Anonymus Cathedram a quovis Apostolo positam, quae cum Cathedra *Petri* communione societur, a Cathedra etiam ab Apostolo posita, quae communione a Cathedra *Petri* seiuncta sit; cum hac nemo, qui Catholicus *et esse, et dici velit,* communione iungendus erit (sic dum *Victor Asianas* illas Ecclesias a sua communione segregare minabatur, *Irenaeus* quidem, aliique *Occidentales* Episcopi id aegre tulere, sed non alia de caussa, quam quod si eas *Victor* a sua communione abscidisset, sibi quoque ab illorum communione discedendum agnoscerent); cum illa *communione iungendus est quisquis Catholicus et esse, et dici vult;* nam nisi cum illa communionem ha-

beret, a *Petri* Cathedra, quacum eam communicare sumimus, disiungeretur. Haec autem omnia ita esse, ut dicimus, *Optatus* confirmat. Quid enim illud est de *Siricio? qui noster est socius, cum quo nobis totus Orbis commercio formatarum, in una communionis societate concordat;* quid, inquam, est? nisi totum Orbem per *Siricium* cum *Africanis* Ecclesiis concordasse? ut harum Ecclesiarum cum *Siricio* communio vinculum fuerit, quo illae cum aliis totius Orbis Ecclesiis *in una communionis societate concordarent* (57). Hoc inter alios intellexit *Nicolaus Cusanus* Cardinalis celeberrimus, cuius auctoritate Anonymus abutitur (58). Licet enim quum *Basileensium* partes sequeretur, plura in libris de *Concordantia* pro schismaticis scripserit, ubi tamen resipuit, et ad *Eugenium IV.* se transtulit, egregie hoc argumentum pertractavit epistola prima. *Quum populus*, inquit, *adhaerens Pontifici particularem constituat Ecclesiam, et quum unus sit per Orbem principatus, qui suo priori adhaerere debeat,* Romanae *scilicet sedi, erit necessario Catholica Ecclesia illa, quae primae Sedi* Petri *adhaeret. Et licet saepe multi schismatica divisione ab illa* Romana *Ecclesia recesserint; numquam tamen*

(57) Ita ipse *Dupinius Optati* verba interpretatur not.37. in hunc locum: *Cum quo communionem habemus*, et PER EUM *cum omnibus aliis Episcopis, qui per epistolas, ut appellant, formatas cum eo communicant.*

(58) *Pag. 34.*

fuit, quin maior fidelium numerus in unitate illius Romanae *Ecclesiae ex fidelibus, et primo Episcopo compactae, perseveret. Quare in ea nostrae saluti necessaria remansit hactenus, et remanebit columna veritatis.* Hactenus de *Optati* mente. Ad *Petrum* redeamus, cuius gratia haec de illa disseruimus.

XIV. Apostolos quoque illi inter oves pascendos fuisse a Christo traditos cum Patribus diximus. Christus ipse alio loco (59) hoc ipsum satis aperte indicavit *Petro* praecipiens, ut Fratres, ipsos nempe Apostolos confirmaret. Hoc Christi praeceptum spectasse *S. Iohannes Chrysostomus* videtur, quum ait (60): « Quod autem maxime divi- » num nobis amorem conciliat, est proximi di- » lectio, quam a *Petro* Christus exigit: nam quum » finem cibi fecissent, dicit *Simoni Petro Iesus:* » *Simon Iohannis* diligis me plus his? Dicit ei: » *etiam Domine tu scis, quia amo te.* Dicit: *pasce* » *Agnos meos.* Quid tandem, aliis omissis, his » dumtaxat *Petrum* adfatur? Os erat Aposto- » lorum, et Princeps, et vertex ipsius coetus; » propterea et *Paullus* eum praeter alios visurus » adscendit, simul ut ei ostenderet, iam sibi fi- » duciam habendam. Tamquam enim negationis » oblivisceretur, FRATRUM EI CURAM committit; ne- » que negationis meminit, neque exprobrat. Tan-

(59) *Luc.* XXII.
(60) *In cap.* XXI. Ioh. *hom. 87.*

„ tum dicit, *si amas me*, FRATRUM CURAM *susci-* „ *pias.* „ Aliqua in eamdem sententiam a *Stephano Dorensi* supra audivimus. *Theophylactus* vero disertissime idipsum docuit (61). *Quia te habeo,* inquit Christi verba interpretans, *Principem Discipulorum, confirma caeteros; hoc enim te decet, qui post me Petra es, et firmamentum Ecclesiae. Intellexerit autem quis non solum* DE APOSTOLIS *dictum, quod* CONFIRMATI *fuerint a* Petro; *sed de omnibus, qui usque ad consummationem saeculi futuri sunt fideles.* Qua in re sane *Petrum* Pastoris officio, cum ipsis Apostolis officio functum fuisse intelligimus. Ex quo demum illud colligitur, quod demonstrare nobis propositum fuit, Apostolos *Petro* aequales dignitate nec fuisse, nec dici posse, nisi oves auctoritate Pastori pares esse imprudentissime statuamus.

(61) *In cap. Luc.* XXII.

CAPUT III.

OMNIMODAM CUNCTORUM APOSTOLORUM INTER SE SE AEQUALITATEM NEC CAPITIS, QUAM SCRIPTURAE, ET PATRES CHRISTO TRIBUUNT, AUCTORITAS, NEC EA, QUAM CUM PETRO APOSTOLI SEQUUTI SUNT, AGENDI RATIO POSTULAT. CUM PETRO PAULLUS AB ANONYMO FRUSTRA CONFERTUR. CAETERA SIVE PATRUM, SIVE CONCILIORUM, QUAE ILLE RECITAT, TESTIMONIA NON TAM PAREM ILLAM APOSTOLORUM OMNIUM DIGNITATEM, QUAM EIUS INSCITIAM PRODUNT.

I. Transit iam disputatio nostra ad argumenta, quibus Anonymus haereticum illud suum de omnimoda Apostolorum omnium aequalitate decretum fulcire conatus est. Mitto autem, quae multis paginis (1) de uno Christo Ecclesiae capite disserit. Numquid enim eum Scripturarum, quae *nulli alteri,* ut ille ait (2), *nisi Christo dignitatem hanc* (capitis) tribuunt, sensum rectius adsequutum fuisse existimem, quam Ecclesiae Patres? Atqui *Optatus,* ut vidimus, *Petrum* CAPUT APOSTOLORUM vocare non dubitavit; non dubitavit item *Chrysostomus,* qui de Ecclesia ait (3): *cuius pastor, et* CAPUT *piscator etc.* Quin etiam *Philippum* Presbyterum, et Apostolicae Sedis in Synodo *Ephesina* legatum sententiae in *Nestorium*

(1) *Pag. 178. seqq.*
(2) *Pag. 180.*
(3) *Hom.* LV. *in* Matth.

Actione III. *Coelestini* Papae nomine prolatae ita praefatum fuisse se novimus: *Nulli dubium, immo saeculis omnibus notum est, quod Sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum princeps, et* CAPUT, *fidei columna, et Ecclesiae Catholicae fundamentum a Domino nostro Iesu Christo Salvatore humani generis, ac Redemptore Claves Regni adcepit etc.* Verum qui plura hac de re cupit, adeat *Bellarminum*, et *Petavium*, quorum ille (4) a *Calvino* (5), hic (6) a *Salmasio* propositum idem argumentum invicte refellit. Id satis sit, hanc rationem non procedere, nisi *Caput* esse *Ecclesiae* ita Christo conveniat, ut cum altero communicari nequeat. Hoc autem cuinam Anonymus persuadebit? nisi prius evicerit, ne Christo omnium Capiti iniuria irrogetur, nefas esse Patrem caput familiae, Belli ducem caput exercitus, Regem caput Regni appellare, aut (ut propiore ad rem nostram utar exemplo) Apostolos, et Prophetas *fundamenta Ecclesiae* nuncupare, quum sit *fundamentum Ecclesiae Christus, praeter quod nemo aliud potest ponere* (7)?

II. Id enimvero omnem fidem superat, Anonymum eo temeritatis, ne dicam an vesaniae devenisse, ut *Leonis*, et *Gregorii* utriusque *magni* auctoritate hocce commentum suum confirmare non

(4) *De Rom. Pont. lib.* I. *cap.* IX.

(5) *Lib.* IV. *Instit. cap. 6.* §. I. et IX.

(6) *De Eccles. hier. lib.* III. *cap. 7. num. 12.*

(7) I. *Cor.* V.

erubuerit. Quam magnifice de *S. Petri* Primatu *S. Leo I.* senserit, ea, quae ex illo supra reddidimus, testimonia palam faciunt. Nec de *S. Gregorio M.* dubitandum, qui et Sedem Apostolicam *omnium Ecclesiarum* CAPUT praedicavit (8), et de *Petro* scripsit (9): *Cura ei* TOTIUS *Ecclesiae, et Principatus committitur.* An ergo tam parum sibi constitissent, ut soli Christo dignitatem capitis vindicarent? Tantus sententiarum conflictus Anonymum quidem non dedecet; dedecet autem maxime Sanctissimos illos, doctissimosque Pontifices. Ait quidem *Leo* (10) de *Petro*, et *Paullo*: *quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiae membra provexit, ut eos in corpore, cui* CAPUT *est Christus, quasi geminum construeret lumen oculorum.* Sed numquid qui oculus ob vigilantiam dicitur, imperii caussa caput vocari nequit? *Isidorus* certe *Pelusiota* (11) *Chrysostomum Byzantinae Ecclesiae* OCULUM dicit; Episcopum tamen suae Ecclesiae caput esse ne ipse quidem *Salmasius* ausus est negare. Immo eadem, qua *Leo*, et *Bernardus* metaphora usus est ad *Eugenium* scribens (12): *quasi in capite corporis duo oculi, ita in capite Ecclesiae* Petrus, *et* Paullus; a *Bernardo* tamen *Petri* successorem *Roma-*

(8) *Lib.* II. *Reg. ep. 56.*
(9) *Lib.* IV. *ep. 32.*
(10) *Serm.* LXXX. *in Nat. Apost.* **Petri** *et* **Paulli.**
(11) *Lib.* I. *ep.* LVII.
(12) *Ep. 237.*

num Pontificem *Caput Ecclesiae* habitum fuisse insipientissimus sit qui inficietur. Ex *Gregorii* porro (13) epistolis quod Anonymus obiicit, de *Calvini* faecibus promptum est, nec vacat in istis sordibus haerere, quas dudum depulit *Bellarminus* (14).

III. Illud potius accurate refellendum, quod ex priore ad *Corinthios* epistola Anonymus profert (15). Ibi enim *Paullus Corinthios* increpat, quod se *Petri* discipulos dicerent: *Ego vero* CEPHAE. « Nam, inquit, si *Petrus* esset ex instituto » divino Pastor, et caput totius Ecclesiae, com» munis fidelium Pater, Christianae centrum uni» tatis, generalisque Christi Vicarius, nonne pot» erat quisque fidelium, immo et debebat ipsum ob» sequio, existimatione, fiducia, reverentia, studio» ve singulari prosequi? Numquid timendum erat, » ne iis in *Petrum* adfectibus Christus laederetur, » qui ex ordine ab ipso constituto manabant, ad » eumque redibant? Quis Papalis auctoritatis do» ctrina innutritus se ob easdem rationes Papae » discipulum, eique tamquam unitatis centro re» ligiose adhaerentem non profiteatur, et *Corin» thiorum* exemplo non dicat: *Ego vero Papae?* » Cur ergo *Paullus* sermonem hunc sic indigna» bundus reprobavit? nisi quod praeclaras illas

(13) *Lib.* v. *ep.* 78.

(14) *Lib.* II. *de Rom. Pont. cap.* 31. Confer Raynaudum *in corona aurea Romani Pontificis verb.* CAPUT ECCLESIAE.

(15) *Pag.* 250.

„ *Petri* praerogativas prorsus ignoraret?" Atque haec Anonymi argumentatio vim aliquam fortassis haberet, nisi *Paullus Corinthiis* vitio quoque verteret, quod se Christi discipulos iactarent: *Ego autem Christi;* sive quod illorum aliqui ministros Christo aequarent, atque, ut ait *Theodoretus, Dominum, et servum in eodem ordine, et loco haberent;* sive quod uni Christo se adhaerere gloriarentur, eius interea neglectis, contemptisque Apostolis, ac ministris, ut optime *Benedictus Iustinianus*, et *Tirinus* adnotarunt. Hinc ergo vides, potuisse *Corinthios* coargui, quod se *Petri* dicerent, salvo eius primatu, quemadmodum reprehensi sunt, quod Christi se discipulos faterentur, quin eiusmodi obiurgatio divinam Christi dignitatem deprimat. Quia tamen *Oecumenius, Primasius,* aliique *Corinthiis* heic a *Paullo* exprobrari contendunt, non quod aliqui se Christi esse (quae vox, inquit *Estius, unitatis est, non schismatis*), sed quod non omnes eamdem loquendi formam usurparent; id non admodum urgebo. Aio igitur, iure fuisse *Corinthios* a *Paullo* reprehensos, quod sive in *Paullo,* sive in *Apollo,* sive in *Cepha* non tam Christum, cuius omnes Ministri erant, quam singulorum dotes, et praeclaram famam spectabant, ob illasque alterum alteri contentionis aestu, nec sine cum illius, tum sectatorum contemptione praeferebant. Quid vero si quod probabile admodum est, *Corinthii Cepham* veluti supremum Ecclesiae Principem, et *Paulli*

ipsius caput colentes tanta se ostentatione huius adseclas praedicassent, ut *Paulli*, et *Apollo* discipulis invidiam crearent, eosque despicarentur? An non obiurgatione digni fuissent? Putatne Anonymus, ferri apud nos posse, siquis se Papae sectatorem diceret, intereaque Episcopi sui etsi Catholici, et *Romano* Pontifici, uti *Paullus Cephae* dubio procul erat, communione coniuncti clientes adspernaretur, atque irrideret? Illud heic potius animadvertere Anonymus debuerat, quo *Cephas* enumerationis ordine a *Paullo* nominetur. Nimirum *Paullus* gradatim, inquit laudatus *Estius Graecos* interpretes sequutus, adscendit ad maiores, se ipsum, ut in re odiosa primum nominans, idest revera infimo ponens loco, Christum supremo, et huic proximum *Petrum;* qui ordo magis profecto valet ad stabiliendum *Petri* principatum, quam *Corinthiorum,* qui *Petro* Magistro praeter modum gloriabantur, reprehensio ad eum labefactandum.

IV. Multo minus Anonymus proficit magno illo, quem ad id instruxit (16), Patrum, et Conciliorum apparatu; nec *Petri* primatum evertit, sed suam manifestius ostendit inscitiam. Quid enim adversus *Petri* Primatum faciat aut *Origenes,* qui *Paullum Apostolorum maximum* (17) vocat, aut *Ambrosius,* cui *Paullus non inferior Petro* (18)

(16) *Pag. 256. seqq.*
(17) *Hom. 3. in Num.*
(18) *Lib.* II. *de Sp. Sanct.*

dicitur, aut *Chrysostomus*, qui *Paullum* ait *se caeteris honore parem ostendere* (19), aut *Augustinus*, qui *Petrum*, et *Paullum unum fuisse* adserit (20), aut Magnus *Gregorius*, qui *Petrum* diaconum adloquens *Paullum* Apostolum *Petro Fratrem* fuisse (21), et *obtinuisse totius Ecclesiae principatum* (22) testatur, aut Concilium *Alexandrinum* a. 431. in quo legimus *Petrum*, et *Iohannem paris dignitatis* extitisse? Hi enim omnes, si *Augustinum* exceperis, de Apostolica dignitate, qua pares fuisse cunctos Apostolos nemo negaverit, palam loquuntur. Quare addit idem Concilium *Alexandrinum, quatenus Apostoli, ac Sancti discipuli; Gregorius* vero *Magnus* ait fratres *Petrum*, et *Paullum* fuisse, sed *in principatu Apostolico. Augustinum* porro excepi, quod ille non tam de dignitate, quam de meritis, ac mutuo amborum Apostolorum inter se se amore intelligendus videatur: quo spectat illud *Leonis M.*(23): *de quorum* MERITIS, *et* VIRTUTIBUS.... *nihil diversum, nihil debemus sentire discretum; quia illos, et electio pares, et labor similes, et finis fecit aequales.* Caeterum praeter Apostolicum principatum, quo *Paullo* par erat, fuit in *Petro* capitis, et supremi in Ecclesiam Principis dignitas, quam

(19) *In ep. ad Gal. cap.* II.
(20) *Serm. in die Nat. Apostol.* Petr. *et* Paull.
(21) *Dial. lib.* I. *cap. 12.*
(22) *In* I. *Reg. lib.* IV. *cap. 5.*
(23) *Serm. in Nat. Apost.* Petr. *et* Paull.

ipse *Paullus* et agnoscere, et colere debuit; nec tamen erat, cur heic Patres illam adtingerent, quum luculentissima pro *Petri* Primatu testimonia aliis in locis tulissent. Quamquam in his ipsis Patrum sententiis, quas Anonymus congessit, satis perspicua non desunt huius veritatis vestigia. Quid enim aliud indicat *Ambrosius*, qui postquam dixerat: *nec* PAULLUS *inferior* PETRO, addit, *cum* PRIMO (nempe PETRO) FACILE *conferendus? Primus* igitur *Petrus*, et cum eo *facile* quidem *Paullus*, non tamen *omnino* conferendus. *Chrysostomus* quoque eo ipso loco *Petrum* CORYPHAEUM, seu ut alii vertunt, SUMMUM appellat; immo non multo antea (24) animadverterat, *Petrum* ad *Paullum* adscendisse *velut ad* MAIOREM, *et seniorem.* Porro cavillatur Anonymus, qui quum id *Chrysostomus Paulli* modestiae tribuerit, hinc arguit, *Paullum* ad *Petrum tamquam ad superiorem non venisse*, neque *humilitatem* Paulli *heic fuisse laudandam, sed debitam eius venerationem, ac submissionem praedicandam. Venerationi* enim, ut ipse ait, et *submissioni* laudandae locus fuisset, si *Paullus* a *Petro Hierosolymam* adcersitus fuisset; quum autem ille *Hierosolymitanum* iter sponte susceperit, *qui nihil opus haberet* Petro (Sanctissimi Praesulis verba sunt), *nec illius egeret voce, sed honore* (Apostolatus) *par esset illi*, hoc ad modestiam quamdam, atque animi demissionem potius quam ad *venerationem*, et *submissionem Chrysostomus* aptissime retulit.

(24) *In cap.* I. *ad Gal.*

CAPUT IV.

FUERITNE ROMANA ECCLESIA A S. PETRO CONDITA?

I. Inanem hactenus in confirmando *Petri* primatu operam posuissem, nisi *Petrum* conditae a se *Romanae* Ecclesiae, Episcopum praefuisse constaret. Unde enim ad *Romanos* Pontifices veluti *Petri* successores illius Primatum divino iure permanasse efficietur, nisi *Petrum* iubente Domino Sedem suam in urbe collocasse, neque illam alio unquam transtulisse pro certo habeatur? Contra si *Petrus Romanam* Ecclesiam constituit, in eaque ad mortem Episcopus sedit, *Romanos* Pontifices eius successores esse, ac supremum Ecclesiae primatum, qui *Petro* creditus fuit ad successores derivandus, nonnisi ad illos pertinere posse nemo non videt. Haec quum Anonymus intelligeret, non satis habuit *Petri* Primatum adgredi; illud quoque sibi sumpsit, ut neque *Romanam* Ecclesiam a *Petro* constitutam fuisse, neque *Petrum* in ea Episcopum sedisse doceret. Ac de *Petri* quidem Episcopatu sequenti capite agemus; nunc de condita ab eo *Romana* Ecclesia videamus.

II. Ac bene est: cum eo homine nobis disputandum, qui *Petrum Romae* fuisse, atque in hac urbe Martyrio adfectum fatetur; id enim, inquit (1),

(1) *Pag. 292.*

tam unanimi consensu testatur antiquitas, ut negare nec possim, nec velim. Quid ergo non sperandum, si quod ille heic negat, *unanimi* quoque *consensu testari antiquitatem* ostenderimus? Profecto ut sibi constet, ne hoc quidem *negare aut poterit, aut volet.* Verum vehementer fallor. Quid apud universam antiquitatem testatius *Antiocheno* eiusdem *Petri* Episcopatu (2)? Hunc tamen ille praefracte inficiatur (3), atque iis rationibus ductus, quae ne hilum quidem habeant probabilitatis. Quid igitur homini facias, qui secum ipso ridicule pugnat? Sinamus eum, uti sibi lubet, insanire. Nos antiquitatem sequamur. Quid ergo *Dionysius Corinthiorum* Episcopus vix altero a *Petri*, et *Paulli* morte saeculo longe clarissimus? Postquam ille in epistola ad *Romanos*, *Soteris*, Clerique *Romani* admonitioni respondens multa de *Romanae* Ecclesiae in suos *Corinthios*, aliasque pauperes Ecclesias pietate, ac de *Clementis* ad eosdem *Corinthios* epistola dixerat, continenter addit (4): *ita et vos ex tanta admonitione vestra plantationem* Romanorum, *et* Corinthiorum *a* Petro, *et* Paullo *factam commiscuistis. Ambo enim in Urbe nostra* Corintho *plantantes nos similiter docuerunt: similiter autem, et in* Italia *audacter* (Graece ομοσε, quod ut *Pear-*

(2) Vide *Boschium* Bollandianum *in Tract. de Patriarchis Antiochenis* num. I. seqq.

(3) *Pag. 269. seqq.*

(4) *Apud* Euseb. *Hist. Eccles. lib.* II. *cap.* 25.

sonius ostendit (5), post *Ruffinum Valesius* perperam reddit *simul*) *docentes* circa idem *tempus martyrium passi sunt. Romani* ergo *Dionysio* teste *plantatio* erant *Petri*, et *Paulli*, quemadmodum *Corinthii; Petri* quidem primum, ut postea demonstrabimus, deinde *Paulli.* Non aliter antiquissimus *Irenaeus* (6): *sed quoniam,* inquit, *valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximae et antiquissimae, et a gloriosissimis Apostolis* Petro, *et* Paullo Romae *fundatae, et constitutae Ecclesiae, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, et adnuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus eos, qui quoquomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per coecitatem, et malam sententiam, praeterquam oportet colligunt.* Quid nunc *Orosium* memorem, qui ubi imperii a *Claudio* suscepti meminisset, statim ait (7): *exordio Regni eius* Petrus *Apostolus Domini Nostri* Iesu *Christi* Romam *venit,* et *salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus adprobavit: exinde Christiani* Romae *esse coeperunt?* Eadem fere verba legere est apud *Turonensem Gregorium* (8): *ab illis diebus* (*Claudii,* quibus *Petrum Romam*

(5) *De success. primor.* Romae *Episcopor. pag. 36.*
(6) *Lib.* III. *adv. haer. cap. 3.*
(7) *Hist. lib.* VII. *cap. 6.*
(8) *Hist. lib.* I. *cap. 25.*

advenisse narrat) *Christiani apud Civitatem* Romanam *esse coeperunt.* Idem plane *Theodoretus* (9) adfirmat: *Primus eis* (Romanis) *Magnus* Petrus *doctrinam Evangelicam praebuit.* Magnum tamen addamus *Leonem* hoc ipsum, qua solet, orationis maiestate praedicantem (10): « Ad hanc ergo ur» bem, *inquit,* Tu, Beatissime *Petre* Apostole, » venire non metuis, et consorte gloriae tuae » Paullo Apostolo, aliarum adhuc Ecclesiarum » ordinationibus occupato, sylvam istam fremen» tium bestiarum, et turbulentissimae profundi» tatis oceanum, constantior quam quum supra » mare gradereris, ingrederis... Iam populos, qui » ex circumcisione crediderant, erudieras. Iam » *Antiochenam* Ecclesiam, ubi primum Christiani » nominis dignitas est orta, fundaveras. Iam » *Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam,* atque » *Bithyniam* legibus Evangelicae praedicationis » impleveras: nec aut dubius de provectu operis, » aut de spatio tuae ignarus aetatis, tropaeum » Crucis Christi *Romanis* arcibus inferebas, quo » te divinis praeordinationibus anteibant et honor » potestatis, et gloria passionis. Ad quam beatus » Coapostolus tuus, Vas electionis, et specialis » Magister gentium *Paullus* occurrens, eodem » tibi consociatus est tempore, quo iam omnis » innocentia, omnis pudor, omnisque libertas sub

(9) *In cap.* I. *ep. ad Rom.*
(10) *Serm.* I. *in Nat. Apost.* Petr. *et* Paull.

„ *Neronis* laborabat imperio. „ Nondum igitur *Paullus Romam* adierat, quum *Petrus* tropaeum Crucis Christi *Romanis* arcibus intulit; ac tum demum *Petro Romae* eo *consociatus est tempore,* quo *Nero* imperabat.

III. Sed et aliud longe gravissimum huius rei suppetit argumentum, nempe ex *Marci* Evangelio; illud enim a Marco *Romanorum* hortatu, ac precibus conscriptum fuisse, ut quae a *Petro* adceperant, litteris consignarentur, Antiquitas tradit. *Eusebius* certe de *Petro* agens ait (11): „ Igitur quum Dei doctrina *Romanos* adventu suo „ illustrasset, *Simonis* quidem vis ac potentia „ cum ipso simul auctore brevi exstincta, atque „ deleta est. Tantus autem veritatis fulgor emi„ cuit in mentibus eorum, qui *Petrum* audierant, „ ut parum haberent simul audisse, nec contenti „ essent coelestis Verbi doctrinam viva voce ad„ cepisse, sed *Marcum Petri* sectatorem, cuius „ hodieque exstat Evangelium, enixe orarent, ut „ doctrinae illius, quam auditu adceperant, scri„ ptum aliquod monumentum apud se relinqueret. „ Nec prius destiterunt, quam hominem expu„ gnassent, auctoresque scribendi illius Evange„ lii quod secundum *Marcum* dicitur, exstitissent. „ Quod quum *Petrus* per revelationem Sancti „ Spiritus cognovisset, delectatus ardenti homi„ num studio, librum illum auctoritate sua com-

(11) *Hist. Eccles. lib.* II. *cap. 15. Vales. edit.*

„ probasse dicitur, ut deinceps in Ecclesiis lege-
„ retur. Refertur id a *Clemente* in sexto *Institu-
„ tionum* Libro. Cui testis etiam adcedit *Papias
„ Hierapolitanus* Episcopus. „ *Clementis* porro verba *Eusebius* alio loco (12) refert, quae huiusmodi sunt: « Quum *Petrus* in Urbe *Roma* verbum
„ Dei publice praedicasset, et Spiritu Sancto ad-
„ flatus Evangelium promulgasset, multi, qui
„ aderant, *Marcum* cohortati sunt, utpote qui
„ *Petrum* iamdudum sectatus fuisset, et dicta
„ eius memoria teneret, ut quae ab Apostolo prae-
„ dicata erant, conscriberet. *Marcus* igitur Evan-
„ gelium composuit, iisque qui illud ab ipso ro-
„ gabant, impertiit. „ Haec eadem *Hieronymus in librum de viris illustribus* transtulit, ubi de *Marco,* his verbis: Marcus *discipulus, et interpres* Petri, *iuxta quod* Petrum *referentem audierat, rogatus* Romae *a fratribus, breve scripsit Evangelium. Quod quum* Petrus *audisset, probavit, et Ecclesiae legendum sua auctoritate dedit, sicut scribunt* Clemens *in sexto υποτυπωσεων libro, et* Papias Hierapolitanus *Episcopus.* Neque his adversatur *Epiphanius* (13), si recte vertatur. *Itaque,* inquit, *post* Matthaeum *statim* Marco, *qui* Romae S. Petri *comes erat* (14), *scribendi Evangelii pro-*

(12) *Lib.* VI. *cap. 14.*

(13) *Haer. 51.*

(14) *Fuerat*, interpretatus est *Petavius;* sed *Graecum* το γενομενος aoristus est, *Agginio* monente, indefinitam habens significationem nunc praeteriti temporis, aliquando

vincia committitur; quod quum fecisset, a B. Petro *in* Aegyptum *mittitur.* Haec autem *Claudio* imperante, ut videbimus, contigerunt. Hoc certe imperante *S. Petrus* primam scripsit epistolam, in qua *Marci* meminit. Ita in libro *de viris illustribus* idem Hieronymus (15): *Meminit huius* MARCI *et* Petrus *in epistola prima sub nomine* Babylonis *figuraliter* Romam *significans:* quod et ante *Hieronymum Eusebius* (16) monuerat: *Constat porro* Petrum Marci *mentionem facere in priori epistola, quam* Romae *scripsisse dicitur: quam quidem epistolam ibi perscriptam ostendit, dum Urbem illam metaphorice* Babylonem *appellat, hoc modo:* Salutat vos Ecclesia nostrae electionis consors, quae est Babylone, et Marcus filius meus. Scio equidem Anonymum nostrum, *Eusebio* et *Hieronymo* posthabitis, *Babylonem Aegypti* heic intelligere (17), quemadmodum *Iohannes* quoque *Pearsonius* (18) fuit opinatus. Verum utrumque egregie falli « ex eo quisque in-

futuri, immo et Praesentis, ut apud *Lucam* cap. x. 32. xxii. 40. 44. et xxiv. 5. Praesens autem tempus, non praeteritum *fuerat,* quo indicaretur *Marcum Roma in Aegyptum* profectum Evangelium scripsisse, postulat non solum veterum traditio (a qua cur *Epiphaniun* dissentientem inducamus?), sed etiam quod de *Marci* in *Aegyptum* missione statim additur.

(15) Ubi de *Marco.*

(16) *Hist. Eccles. lib.* II. *cap.* II.

(17) *Pag. 284. seqq.*

(18) *Oper. postumor. pag. 54. 56.*

„ telligit, ut cum cl. *Daude* loquar (19), quod „ *Iudaei* in *Ponto, Galatia,* et *Bithynia,* ad quos „ dirigebatur epistola, Urbem eam vix noverint: „ de *Babylonis* huius praeterea Episcopis per sae„ cula plurima silentium. Primus tandem *Cyrus* „ fuit (20), cuius nomen in prima Concilii *Chal*„ *cedonensis* actione occurrit, vel, ut aliis pla„ cet (21), *Zosimus,* qui saeculo quinto sub *Iu*„ *stino* iuniore, ei Ecclesiae praefuit: an vero „ quis verosimiliter opinetur, Ecclesiam ab ipso „ *Petro* erectam tamdiu latuisse? et profecto *Pe*„ *trus,* si de hac Urbe scribere suae fuisset men„ tis, epitheton adiecisset, pro Urbe discernenda, „ quum *Iudaeis* nonnisi Urbs *Chaldaeorum* a tot „ cladibus insignis animis inhaereret. „ Haec omnia quum evolveret *Grotius* (22), in hanc sententiam perscripsit: *De* Babylone *dissident veteres, et novi interpretes. Veteres* Romam *interpretantur, ubi* Petrum *fuisse nemo verus Christianus dubitabit. Novi* Babylonem *in* Chaldaea; *ego veteribus adsentior* (23).

IV. Nunc tempus a nobis designandum est, quo *Petrus Romam* tum primum, tum saepe alias adiit; neque enim licet *Romae* sedem collocarit,

(19) *Histor. Univ. Tom.* I. *pag. 324.*

(20) *Spanhemius* in diss. *de Petri in Urbem prof.* a. 4.

(21) *Baronius ad ann. 45.*

(22) *In* I. *epist.* Petr. v. 13.

(23) Confer *Fogginium de Rom. Divi* Petri *itinere Exercit.* X.

ita illi haesit, ut in alias quoque regiones, et Apostolatus, et supremi praesertim Primatus gratia idemtidem non excurreret. Anonymus *Tillemontii* Chronologiam oppugnare studuit; nos *Bollandianorum* Chronologiae fere insistimus. Hanc primum accurate proponemus; deinde siquae sunt apud Anonymum, quae etiam isti difficultatem quampiam ingerant, ea nisi occupata a nobis fuerint, expediemus. Quatuor autem heic sumimus, quae ab *Henschenio* (24), *Ianningo* (25), *Boschio* (26), *Bollandianis*, et a *Schelestratio* (27) comprobata sunt. Primum est, Christum Dominum Cruci adfixum fuisse, ac mortuum duobus *Geminis* Consulibus anno aerae vulgaris XXIX. Alterum est, anno aerae vulgaris XXXIII. *Antiochenam* sedem fuisse a *Petro* constitutam, in eaque illum annis VII. licet fortasse non integris praefuisse. Tertium est, Apostolorum divisionem, post quam *Petrum Romam* versus profectum fuisse credimus, anno illigandam aerae vulgaris XL. Nam uti *Apollonius* apud *Eusebium* (28), et *Clemens Alexandrinus* (29) ex antiqua et ipsi veteres traditione testificantur, Apostolis Christus praeceperat, ut

(24) *Diss.* I. *de* S. Petro *ad Catal. Rom. Pontif.*

(25) *Ad d.* XXIX. Iunii *in Com. Praev. ad Acta* SS. Petri *et* Paulli.

(26) *In Tract. de Patriarch.* Antioch. *n. 5. seqq.*

(27) *Tom.* I. *Antiquit. Eccles. illustr. Diss.* I.

(28) *Lib.* V. *Hist. Eccl. cap. 18.*

(29) *Lib.* VI. *Strom.*

nonnisi intra, seu etiam post duodecim ab eius Resurrectione annos (quos tamen completos esse debuisse nihil est quod efficiat) *Hierosolymis*, *Palaestina* scilicet, ac *Syria* Evangelii gentibus adnunciandi caussa discederent; sub anni vero aerae vulgaris XL. initia duodecimus a Christi Resurrectione annus, non completus quidem, sed tamen inchoatus putabatur. Quartum denique est, *S. Petrum Nerva*, et *Vestino* Consulibus, anno scilicet aerae vulgaris LXV. Martyrio adfectum fuisse.

V. Anno igitur aerae vulgaris XL. quum *Antiochia Romam* versus *Petrus* discessisset, in ea *divinis praeordinationibus*, quod ex *Leone Magno* adcepimus, supremi Primatus Sedem collocaturus, hinc annos XXV., quibus veteres magna consensione *Romanum* Petri Episcopatum definiunt, neque incommode, neque absque probabili ratione iidem, quos antea appellavi, *Bollandiani*, et *Schelestratius* inchoandos statuunt. Porro quum *S. Leo*, ut vidimus, inter *Antiochenum Petri* Episcopatum, eiusque *Romam* adventum, *Pontum*, *Galatiam*, *Cappadociam*, *Asiam*, atque *Bithyniam* memoret ab illo *legibus Evangelicae praedicationis impletas*, non dubito, quin *Petrus Antiocheno* iam dimisso Episcopatu, et *Romam* cogitans has interea regiones sacri ministerii luce collustrarit. Hinc vero fit, non ante annum aerae vulgaris XLI. quo a IX. Kal. Februarii *Claudius* imperabat, *Petrum Romam* adventasse. Nec fortasse *Petrus* tam

cito illuc advolasset, nisi *Simonem* Magum eodem se se contulisse didicisset. Haec certe opinio apud veteres obtinuit, adversus illum haereticorum omnium parentem *Romam Petrum* perrexisse. *Eusebius* (30), *benigna,* inquit, *et clementissima Dei Providentia fortissimum, et maximum inter Apostolos* Petrum..... Romam *adversus illam humani generis labem, ac pestem perducit.* Hunc sequutus *Hieronymus in lib. de vir. illustrib.* de *Petro* ait: *ad expugnandum* Simonem *Magum* Romam *pergit;* quem *Hieronymi* locum frustra cl. Marchio *Maffeius* sollicitavit (31). *Isidorus* quoque *Hispalensis* in Chronico, ubi de *Claudio, eo,* inquit, *regnante* Petrus *Apostolus contra* Simonem *Magum* (seu ut in pervetusto *Lucensi* Codice legitur), *ad superandum* Simonem *Magum* Romam pergit. Hoc interea ratum sit, quod omnis antiquitas docuit, *Petrum Claudio* imperante *Romam* advenisse. Nos quidem anno *Claudii* primo *Romae Petrum* statuimus, contra quam *Hieronymus* post *Eusebium* sentit, ad annum *Claudii* secundum Sanctissimi Apostoli in Urbem ingressum referens; verum quum deserendus omnino *Hieronymus* sit quod ad annum spectat, quo *Petrum* Martyrium subiisse ait, *Neronis* XIV. (fuit enim XII.), nullus nobis vitio vertet, si et de anno, quo *Petrus Romam* venit, ab eo dissideamus; hac

(30) *Hist. Eccles. Lib.* II. *cap. 14.*

(31) Vide meam *Historiam litter. Ital. Tom.* V. *pag. 425. seqq.*

enim in re deceptus ab *Eusebio* videtur, qui unde secundum illum *Claudii* annum adceperit, quis divinet? *Orosius* (32) cum exordio imperantis *Claudii* (quod amplectimur) *Petri Romam* adventum cautior illigavit: *Petrum* autem in Urbem ingressum credimus XXV. Aprilis, qui *Leone* ipso Pontifice sacer olim *Petro* fuit, quemadmodum cl. Praesul *Blanchinius* ostendit in notis ad *Anastasium* (33), non autem alia probabiliore de causa, quam quod ipsa illa die *Romam* ingressus fuerit (34).

VI. Anno illo XLI. *Claudius* tota *Iudaea Herodem Agrippam Aristobuli* filium auxit. Huius autem *Herodis*, et *Claudii* Imperatoris tempore tum discipuli *Antiochiae* primum Christiani nuncupati sunt, tum ingens fames ab *Agabo* Propheta praedicta invaluit anno aerae vulgaris XLII., quando *Hierosolymam SS. Paullus*, et *Barnabas* stipem collectam detulerunt (35). Sub huius anni finem, vel initium sequentis ob caussas, quas in Apostolorum Principe, atque Ecclesiae universae capite facilius est sumere, quam divinare, *Petrus* relicta tantisper *Roma Hierosolymam* navigavit. Certe anno XLIII. *Hierosolymis* erat, quum *He-*

(32) *Lib. Hist.* VII. *cap.* 6.

(33) *Tom.* II.

(34) Vide egregiam *Petri Moretti de Festo in honorem Principis Apostolorum* Romae *ad diem* XXV. *Aprilis instituto enarrationem.*

(35) *Act.* XI.

rodes Agrippa, ut *adfligeret quosdam de Ecclesia, occidit* Iacobum fratrem Ioannis *gladio : videns autem, quia placeret* Iudaeis, *apprehendit et* Petrum, *volens post* Pascha *producere eum populo:* sed is Angelico eductus est auxilio (36). Ridet haec Anonymus; *si enim,* inquit (37), Petrus *a* Iudaea *octo aut novem annos abfuerit* (septem scilicet *Antiochensis* Episcopatus annis putatis), *si non sit reversus* Ierusalem *nisi paullo* ante *inclusionem suam, quomodo de eo occidendo subito cogitavit Herodes? Cuiusvis enim nominis* Petrus *antea fuerit, nonne per octo aut novem annorum absentiam fama, memoriaque eius debuisset evanescere?* Lepidum caput! An non *Agrippa de adprehendendo* Petro *cogitavit, videns quia placeret Iudaeis? Iudaei* ergo *Petrum Agrippae* detulerant. Nec vero apud illos *Petri* memoria potuerat, ut ipse oblivione dignissimus hariolatur, tam facile *evanuisse.* Nam neque *Petrus Antiochiae* ita sedem fixerat, ut in alias finitimas Urbes, ipsamque *Iudaeam* non aliquando excurreret, et *Iudaeis,* qui ea loca, atque adeo *Italiam* incolebant, pro eo, quo Christianos prosequebantur, odio, *Hierosolymitanis* sociis rei Christianae per *Petrum* amplificationem, ut si liceret, invisum Apostolum perderent, nunciasse longe est verosimillimum. Quamquam ne his quidem opus

(36) *Act.* XII.
(37) *Pag. 312.*

est. *Iudaeos* enim, ut *Petrum Hierosolymam* rediisse a Christianis adceperunt, cum rerum paucis abhinc annis apud eos ab illo gestarum memores, tum illum Christianorum Principem esse animo reputantes, miremurne conceptas iamdiu iras in illum omnes, consiliaque eo retulisse, ut tandem Regis iussu atque sententia de medio tollerent?

VII. Ad *Petrum* porro captivitati ereptum *Marcus Alexandria* in *Palaestinam* adcessit, eumque *Romam* comitatus est anno XLIV. quo etiam *Herodes* periit. Heic autem Evangelium *Marcus* scripsit, ac *Petrus* primam dedit *Babylone*, *Romae* scilicet, ut diximus, epistolam, in qua *Christianorum*, et *Marci* aperta mentio. Anno XLVI. missus fortassis fuit *Marcus* a *Petro Aquileiam*, ubi et *Hermagoram* Episcopum constituit (38). *Petrus* vero in *Iudaeam* iterum contendit, ibique anno sequente *Hierosolymitanae* Synodo interfuit (39). Fuerunt autem *Orosio* teste (40) anno *Claudii* IX. aerae vulgaris XLIX. expulsi per *Claudium Roma Iudaei;* sed num simul expulsi fuerint Christiani, dubitat cum eodem *Orosio* cl. *Lazerus* in dissertatione *de persecutionibus in Ecclesiam excitatis aevo Apostolico* (41). Fueritne tunc *Romae S. Petrus*, et si fuit, manseritne in Urbe,

(38) Confer *Sollerium in Hist. Patriarch. Alexandr. n. 20.*

(39) *Act.* XV. Confer *Henschenium Exercit.* IV. *in Catal. Rom. Pontific. num. 31.*

(40) *Lib.* VII. *Hist. cap. 6.*

(41) *Num.* II.

aut si discessit, quonam versus iter instituerit, plane latet, inquit *Henschenius*. *Claudium* in *Romano* Imperio *Nero* excepit anno LIV. quo *Paullus Corintho* ad *Romanos* epistolam scripsit. Advertit autem *Eusebius* (42), Neronem *circa initia Imperii clementius se gessisse, et defensionem pro fide nostra benigne suscepisse*. *Petrum* igitur si *Iudaeis Roma* a *Claudio* pulsis discessit, ad Urbem sub *Neroniani* Imperii initia remeasse probabile est. Certe *Romae* erat, *Q. Volusio Saturnino*, et *P. Cornelio Scipione* Consulibus, anno scilicet LVI. quo quum *videret*, ut ait Henschenius, Romae *Ecclesiam recte constitutam, velletque maiori cum libertate alias quoque regiones lumine fidei illustrare*, S. Linum, *quem a morte habuit Successorem, constituit sibi Vicarium*, quemadmodum antiquus *Romanorum* Pontificum Catalogus nos docet. Eodem anno LVI. *S. Paullus* Urbem ingressus est, in eaque biennio in vinculis mansit; hinc vero scripsit ad *Philippenses*, et *Ephesios;* tum anno LVII. ad *Colossenses*, ad *Philemonem*, et ad *Hebraeos*. *Simon Magus Romam*, et ipse secundo adiit, unde cum *Iudaeis* sub *Claudio* secesserat. Eum *Iustinus* in prima pro Christianis *Apologia* a *Romanis* Deum habitum, et statua inscripta SIMONI DEO SANCTO donatum scribit; quod cum *Ianningo*, *Tillemontio*, *Ogginio*, *Orsio* aliisque eruditis viris lubens admitto. Scru-

(42) *Hist. Eccles. Lib.* II. *cap.* 22

pulum iniicit tempus; id enim sub *Claudio* factum indicare *Iustinus* videtur. Sed quamvis *Simonem* Magum *Claudio* imperante *Romam* venisse concedam, quum tamen *Travasam*, aliosque viros doctos de *Simone* cum *Iudaeis* eiecto inter se consentire animadvertam, nec *Romanos* adeo inconstanti animo, ut quem nuper Deum coluerant, ac statua decoraverant, illum paullo post urbe exulare cogerent, mihi fingere queam, mallem quod de statua a *Iustino* dictum fuit, ad *Neronis* imperium, quo *Romam* Magus ille repetiit, referre. Tum enimvero facilius creditu est, *Simonem* divinis illis honoribus inflatum de volatu, quem quotquot veteres sunt, memorant nec numero pauci, et gravitate spectabiles, cum *Neronis* imperio coniungunt, cogitasse. Quo tamen *Neronis* anno *Simon* ad Urbem regressus sit, incompertum habeo; post annum LVI. crediderim, quod *Petrum*, si ille *Romae* exstitisset, non inde abscessurum fuisse constet; immo et post annum LVIII. quo *Paullus* a vinculis absolutus est, atque Apostolorum Actibus *Lucas* finem imposuit. Ubi autem *Petrus Simonis* reditum intellexerit, non dubito, quin statim *Romam* convolarit impium haeresiarcham prostraturus. Ab hac autem profectione illum *Romam* vel non amplius, vel certe nonnisi exiguo temporis intervallo deseruisse existimarim, dum tandem anno ut diximus LXV. cum *Paullo* immanis Imperatoris iussu interfectus est.

VIII. Age nunc, Anonymi cavillationesexcu-

tiamus. Ait ergo (43), *ridicule Petrum* a nobis exhiberi, *Romae se tantum identidem ostendentem, dum simul eum sibi sedem suam fixisse adfirmamus.* Quaerit deinde (44), quomodo non intelligamus, *hunc Apostolum, si* Romae *Episcopus fuisset, ad gregem suum plures litteras scripturum certe fuisse, ut consolatione, ac doctrina iteratae longaeque pensaret iniuriam absentiae, quum duas scripserit ad fideles* Asiae minoris, *qui fidem ab eo, ut fertur,* Romam *eunte fuerant edocti, licet eorum Episcopus non esset.* Obiicit quoque (45) epistolam ad *Romanos,* in qua *Paullus* ait: *desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis ad confirmandos vos..... Nolo autem vos ignorare, Fratres, quia saepe proposui venire ad vos (et prohibitus sum usque adhuc) ut aliquem fructum habeam, et in vobis, sicut et in caeteris gentibus.* Etenim, inquit, « num credibile » est, *Paullum*; qui pro lege sibi posuerat, ne » super fundamentum alienum aedificaret, adeo » perseveranter *Romanos* videre in votis habuisse, » ut aliquem in eis fructum haberet, si *Petrus* » a multis annis Pastor eorum fuisset? » Tandem ut alia mittam, quae a *Veleno,* aliisque haereticis Scriptoribus proposita, *Bellarminus, Natalis Alexander,* et *Fogginius* refellerunt, quum *Lucas* (46)

(43) *Pag. 318.*
(44) *Pag. 320.*
(45) *Pag. 324.*
(46) *Act.* XXVIII.

narret, *Paullum* a *Iudaeis Romae* degentibus rogatum fuisse, ut de Christiana Religione coram ipsis dissereret; *nam de secta hac notum* sibi aiebant, *quod ubique ei contradicitur,* illos in magna nostrae fidei ignoratione versatos fuisse colligit; addit mox *Lucas,* ubi *Paullus* eos erudire coepit: *Et quidam credebant his, quae dicebantur, quidam vero non credebant. Quumque invicem non essent consentientes discedebant.... multam habentes inter se quaestionem.* Hinc ergo demum Anonymus coniicit, *nihil contentionis fuisse inter* Iudaeos Romae *degentes, priusquam ad* Paullum *intrarent; quippe quum nullus eorum in Christum crederet, et sola* Paulli *praedicatio multos eorum circa fidem erudiendo divisioni locum fecerit. Nova ergo ipsis erat, quam de Messia ab Apostolo audiebant doctrina. Hanc autem sic ignorare non potuissent anno* XLI. *si* Petrus *aliquamdiu* Romae *iam antea mansisset. Si enim* Paullus *Gentium Apostolus sub adventum suum* Iudaeos *ad se convocaverit, ut Evangelii participes eos faceret, quomodo hoc omisisset* Petrus, *proprius eorum Apostolus, diutiusque inter eos versatus? Non venerat ergo* Romam Petrus *ante* Paullum.

IX. Haec illa sunt rationum momenta, quibus Anonymus receptissimam tot saeculorum traditionem convellere se posse confidit. Quantum tamen est in illis inane! Sedem fixerat *Petrus Romae;* non ergo debuit vagari, atque huc illucque discurrere. Numquid Episcopi ita in Urbe, quae

caput dioeceseos sit, haerere debent, ut ad ipsam lustrandam, invisendamque dioecesim per oppida discurrere illis non liceat? Immo vero quum proprie επισκεπτειν sit inspicere, quod nonnisi ab coram intuentibus, ac praesentibus potest fieri, et Episcopus non unius tantum Urbis, in qua sedem habere dicitur, sed totius etiam συνοδου, vel dioeceseos suae sit Episcopus, erit Episcopi non uno in loco consistere, sed universam dioecesim peragrare. Quid vero si Episcopus Apostolus fuerit cum plena praedicandi ubique, et ad fidem adducendi potestate? multoque magis si totius fuerit, Ecclesiae Primas, cui omnium Ecclesiarum cura incumbat? An minus *Romae* Episcopus erit, si cum Apostoli, tum maxime Primatis munus ut obeat, Urbem idemtidem deserat, ad alias quoque gentes sibi commissas excursurus? Num *Romani* Pontifices, qui superiore aevo per *Italiam* saepe, *in Gallias* non raro, *Constantinopolim* aliquando susceptis itineribus, *Roma* quam diutissime abfuerunt, *Romani* non erant Episcopi? Itaque insignis stupor est, *Romanum Petro* Episcopatum ea de caussa auferre, quod ad alias crebro, easque longinquas regiones profectus sit, iis praesertim temporibus, quibus Religio primum stabilienda erat, Ecclesiae condendae, Episcopi constituendi, haereses coercendae, confirmandi fideles. Noverat Episcopi munus *Leo Magnus*, noverat *Orosius*, noverat *Hieronymus*, noverant caeteri, quorum sententias recitavimus. Hi tamen quum varia *Pe-*

tri itinera non ignorarent, illum tamen ipsis xxv. annis *Romae* Episcopum praedicarunt. Quidni et nos idipsum fateamur?

X. De epistolis vero, quas *Petrum* si *Romae* fuisset Episcopus, ad *Romanos* dare debuisse Anonymus pronunciat, quid dicam? Num Sanctum *Ignatium Antiocheno* Episcopatu spoliabimus, quia nullas ad *Antiochenos* suos litteras scripsit? Immo si haec probetur argumentandi ratio, quatuor aut quinque demptis Apostolis, caeteros, quorum nullae ad gentes, quas Christianis disciplinis imbuerunt, epistolae exstant, de Apostolorum numero deturbabimus. Nam si Episcopi necessario est, gregem suum, a quo absit, litteris consolari, atque ad servandam morum integritatem exhortari, Apostolorum quoque erat, saltem quos Fidelibus praefecerant, Episcopos officii sui monere, Religionis apud illos progressum nosse, obortas controversias sedare, idque genus alia praestare, quae si absque litteris Episcopus non possit, ne Apostolus quidem sine epistolarum commercio facere possit. Verum nae nos lepidi sumus, qui ex nostrorum temporum consuetudine primaevum illum Ecclesiae statum metiamur, perspectasque rerum omnium, quas Apostoli aut egerunt, aut omiserunt, caussas, consilia, rationem in tanta vetustissimorum monumentorum inopia habere velimus. Edisserat ergo nobis Anonymus, cur quum quatuordecim *Paullus* epistolas scripserit, tres tantum *Iohannes,* duas *Petrus,* unam *Iacobus,*

et *Iudas* dederint: aut cur quum *Matthaeus*, et *Iohannes* Evangelium ediderint, caeteri quoque Apostoli illud litteris non consignarint.

XI. Quamquam si saperet, his quae scire ἀδύνατον est, praetermissis, illud potius curaret, ut ne deinceps secum ipse inepte, turpiterque confligeret, quemadmodum certe eum sibimet adversari videmus, dum *credibile* esse negat, *Paullum, qui pro lege sibi posuerat, ne super fundamentum alienum aedificaret, adeo perseveranter* Romanos *videre in votis habuisse, ut aliquem in eis fructum haberet, si* Petrus *a multis annis Pastor eorum fuisset?* Quid enim? nonne paucis interiectis eadem, qua isthaec continentur, pagina ipse subiicit, *fidem* Romanorum, *per totum orbem iam tum, dum haec* Paullus *ad* Romanos *scriberet, celebrem fuisse?* Fides vestra adnunciatur in universo mundo (47): *Non potuisset autem huius Ecclesiae fides sic universo mundo innotescere, nisi ab annis pluribus formata fuisset, ac necessariis, qui regerent eam, instructa ministris?* Atqui si quidquam Anonymi ratio illa efficit, illud tandem arguet, non debuisse *Paullum* ad *Romanos* adcedere, licet *Petrus* Pastor eorum non fuisset. Demus enim *Petrum Romanorum* non fuisse Pastorem; alius tamen fuisset, quum non potuerit eius Ecclesiae fides *universo mundo innotescere, nisi ab annis pluribus formata fuisset, ac neces-*

(47) *Rom.* I.

sariis qui referent eam, instructa ministris; igitur ne tunc quidem potuisset *Paullus adeo perseveranter* Romanos *videre in votis habuisse, ut aliquem in eis fructum haberet*, quin contra legem, quam sibi posuerat, *super fundamentum alienum aedificaret* (48). Vel ergo *Paullus* (quod nefas dictu est) *Romanis*, vel certe Anonymus pugnantia nobis obtrudit. Anonymus enimvero de se viderit. Ad *Paullum* quod adtinet, eorum verborum: *ne super alienum fundamentum aedificarem*, non est sensus, inquit *Estius* (49), *Paullum* studiose cavisse, ne usquam praedicaret, ubi Christus fuerat adnunciatus. Nam *Damasci* praedicavit, ubi iam ante Christiani erant, quos volebat vinctos perducere *Hierosolymam* (50). Id ergo tantummodo *Paullus* indicat, se ut plurimum iis gentibus, quibus nondum lux Evangelii adfulserat, praedicasse: quod dum facit, praepeditus sit, ne quod maxime optaverat, *Romanos* adiret, non ut fidei illorum, quae iam adnunciabatur *in universo mundo*, institutor primus, et conditor esset, sed ut *aliquid impertiretur gratiae spiritualis* (en fructum, quem in illis habere cupiebat), ad CONFIRMANDOS eos, idest *simul consolaretur in illis per eam, quae invicem est, fidem eorum, atque*

(48) *Rom.* xv. 20.

(49) Vide etiam *Benedictum Iustinianum, Menochium*, aliosque.

(50) *Act.* IX. *Antiochiae* quoque de fide saepe disseruit, ubi plures Christo nomen iam dederant.

suam (51). Quid ergo hinc ad denegandam *Petro* constitutae ab eo ante *Paullum Romanae* Ecclesiae gloriam extundas?

XII. Ne illud quidem Anonymi conatus iuvat, quod de *Iudaeis Romae* degentibus, quum isthuc *Paullus* advenit, *Lucas* in Actis perhibet. Quaero enim, an nullum *Romae Iudaeum*, antequam *Paullus Romam* adduceretur, ad nostra sacra transiisse existimet? Ita sane videtur is secum statuisse: at Anonymum, si hoc sensit, *Paullus* aperte refellit, qui quum duos ante annos suam ad *Romanos* epistolam scripsit, *Iudaeorum* apud eos commorantium conversioni testimonium plane luculentissimum praebuerat. « Constat enim, uti » *Bellarminus* animadvertit (52), epistolam illam » partim scriptam ad *Gentiles*, et partim ad *Iu-* » *daeos* ad fidem Christi conversos. Nam ideo » primis quatuor capitibus disputat de iustifica- » tione ex fide sine operibus legis, contra super- » biam *Iudaeorum*, qui suis meritis tribuebant » adventum Messiae. Et cap. XIV. agit de illis, » qui adhuc indaizabant abstinentes a quibusdam » cibis secundum legem immundis. Et cap. XVI. » salutat multos, quos constat Christianos ex » *Iudaeis* fuisse, » ut *Aquilam*, et *Priscillam*, *Andronicum*, et *Iuniam*, atque (quod ipsum nomen indicat) *Mariam*. Non igitur omnium, qui *Romae*

(51) *Rom.* I. 11. 12.
(52) *De Rom. Pont. lib.* II. *cap.* 7.

erant, *Iudaeorum* vox illa erat, *rogamus autem etc.* perinde ac si *Iudaeorum* illorum nullus quidquam de Christo, eiusque sacris ad eam diem audiisset; sed eorum solummodo, qui nondum Christianam fidem amplexi fuerant, vel quod *Petri* praedicationi aures pervicaciter obstruxerant, vel quod nuper et ipsi *Romam* ingressi fuerant. Neque hi ipsi nihil plane se de Christo nosse dicebant, quod Anonymus sumit. Nam *de secta quidem hac notum esse sibi* aiebant, *quod ubique ei contradicitur;* at ubi *nihil aliud?* Hoc Anonymus addit, sed de suo, atque omnino perperam; fieri enim quei potuisset, ut in tanta, qua *Romana* Ecclesia gloriabatur, Christianorum multitudine *Iudaei* illis permixti *nihil aliud* de Christiana Religione *cognoscerent, nisi quod ab omnibus impugnaretur?* Non itaque verbis illis significabant, *se numquam audivisse praedicationem Christi,* inquit nuper appellatus doctissimus Cardinalis (53), *sed non fuisse adhuc persuasos, et ideo voluisse adhuc* Paullum *audire: et quum ab eo efficacissime convincerentur, partem eorum fuisse persuasos, ut crederent, partem in sua obstinatione mansisse.*

(53) Bellarm. *loc. cit.*

CAPUT V.

ROMANUS S. PETRI AD MORTEM EPISCOPATUS ADSERITUR; HINCQUE DEMUM ROMANI PONTIFICIS PRIMATUS PAUCIS DEMONSTRATUR.

I. Adserta hunc in modum *Petro Romanae* Ecclesiae primum conditae gloria, si, quod maxime contendimus, unus *Romanus* Pontifex magni Apostolorum Principis in supremo Orbis Christiani primatu successor habendus iure est, restat, ut *Romanum* eiusdem *Petri* Episcopatum ab Anonymi cavillationibus vindicemus: idque hoc ultimo dissertationis nostrae capite exsequemur. Antiquissimi enimvero Patres hoc diserte testantur. Sic *Irenaeus* (1): *Fundantes igitur, et instruentes Beati Apostoli* (Petrus, et Paullus) *Ecclesiam* (Romanam) Lino *Episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt. Succedit autem* Lino Anacletus. *Post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur* Clemens etc. Nolim, heic Lectori negocii quidquam facessat *Petri* cum *Paullo* consociatio, quam etiam in *Epiphanio* videbimus. Nam quod uterque Apostolus *fundasse*, et *instruxisse* dicitur *Romanam* Ecclesiam, apte intelligendum est, de *Petro* quidem ut primo illius institutore, de *Paullo* ut confirmatore: quod autem uterque *Lino* Episcopa-

(1) Lib. III. *Adv. haer. cap. 3.*

tum administrandae Ecclesiae tradidisse perhibetur, ad utriusque Societatem pertinet non in aequo *Romani*, et Catholici Episcopatus iure positam, sed cum Apostolatus, atque adeo Episcopatus munere, quo *Paullus* quoque *Romae* non abnuente *Petro* fungebatur, tum fraterna utriusque Apostoli necessitudine colligatam. Id unum ad rem praesentem facit, quod *Clemens* post *Linum* tertio loco *ab Apostolis Episcopatum* sortitus dicatur, quod et de *Sixto* iterum, ac tertio de *Eleutherio Irenaeus* inculcat. Quid enim hoc significat, nisi in *Romano* Episcopatu Apostolis *Linum*, caeterosque successisse? Minime vero, inquit Anonymus (2); *nominatis enim* Lino, *et* Anacleto Clementem *tertium fuisse* (Irenaeus) *dicit, et post tres istos nominatis* Evaristo, *et* Alexandro, Sixtum *dicit sextum fuisse* Romae *Episcopum;* Clemens *autem non fuisset tertius, nec* Sixtus *sextus, si* Petrus, *et* Paullus, *aut alteruter tantum Romanam Sedem ante ipsos occupasset: non credidit ergo* Irenaeus *Sanctos hos Apostolos* Romae *fuisse Episcopos.* Ineptit scilicet Anonymus noster, qui non animadvertit tertium quidem *Clementem* (quod idem de *Sixto*, et *Evaristo* dictum esto) ab *Irenaeo* numerari, sed ab *Apostolis.* Cur hoc? nisi quia ab his (quo tamen monuimus inter utrumque Apostolum discrimine) *Romanorum* Episcoporum series inchoanda erat, licet successionis ordo (ab hoc enim Apo-

(2) *Pag. 342.*

stoli utique secludendi erant) solum a *Lino* initium sumeret.

II. Verum urget Anonymus (3): « Si dicerem: » A Consulibus *Caesar Romanum* Imperium rexit, » *Caesari* successit *Augustus*, et *Augusto Tiberius;* num inde inferri posset Consules Imperatores fuisse, ut fuerunt *Caesar*, *Augustus*, *Tiberius?* Minime profecto. Quia ad tempus tantum erat Consularis dignitas, quum Imperialis » contra stabilis esset, ac perpetua. Sic differunt » Apostoli ab Episcopis, quos Ecclesiis praefecerunt. Singulas Ecclesias ad tempus tantum regebant Apostoli, quia in nulla consistebant; » Episcopatus autem, et loco stabilis, et duratione » perpetuus..... Quamvis ergo *Petrus*, et *Paullus* » Ecclesiam *Romanam* certo temporis spatio rexerint, dici tamen non potest eos Urbis huius » Episcopos fuisse, nec proinde eis in Episcopatu » successisse *Linum*, *Anacletum*, *Clementem* etc. » Alioquin idem dici posset de omnibus Episcopis, qui alias Ecclesias ab Apostolis rexerunt; » unde consequens esset praerogativam hanc non » *Romae* propriam, sed cum multis aliis urbibus » ipsi communem esse. » Quanta Deum bonum! in hisce verbis inscitiae, et errorum portenta latent! Nam primo quinam *Apostoli* sunt ab *Irenaeo* indicati? Non utique omnes; *Petrus*, et *Paullus* sunt, quos *Irenaeus* paullo antea nominarat,

(3) *Pag. 344.*

ut idem sit ab *Apostolis* dicere, quod *Petro,* et *Paullo*. Fac ergo, *Irenaeum* scripsisse: *Post eum tertio loco a* Petro, *et* Paullo *Episcopatum sortitur* Clemens. Quo iocularis illa Consulum, et Imperatorum comparatio abiret? An non si dicerem: *Post* Claudium *tertio loco ab* Augusto *imperium sortitur* Domitius Nero, recte quis *Augustum* a me inter Imperatores censeri colligeret? Nam ubi in serie quapiam succedentes sibi personae designantur, quemadmodum in hoc exemplo, nemo nisi insaniat, *a persona,* seu *post personam,* quae ad illam seriem minime pertineret, seriem ipsam ducendam esse adfirmarit. Longe aliud est, si non personarum, sed dignitatum, quarum altera alteri suffecta sit, designatio fiat, ut in Consulum, et Imperatorum, quod Anonymus profert, exemplo. Quum ergo *Irenaeus Apostolorum* nomine non Apostolatus dignitatem, sed *Petri,* et *Paulli* personas denotarit, nugas agat necesse est, aut plane desipiat, qui ad eius extricandam sententiam tam alienum ab illa exemplum adhibeat. Nec minus a vero abhorret, quod ait, hanc esse Apostolatus notam, quod Apostoli in nulla Ecclesia consisterent, Episcopatum vero in eo potissimum situm fuisse, quod et *loco stabilis esset, et duratione perpetuus*. Novum hocce commentum post *Petavium,* qui in libris *de Hierarchia Salmasium* eadem de re acriter reprehendit, supra refutavimus. In Episcopi nomine propria est *inspectionis* notio; an non autem *Romanam* Urbem *inspicere Petrus*

dici poterat, qui et ubi inde discederet, sui Vicarios ibi relinquebat, et eodem ipse idemtidem revertebatur, quae ad amplificandam fidem magis conferrent, per se se constituturus? Putida est in loci stabilitate, quam Anonymus Episcopatus notam ponit, amphibolia. Utique qui Episcopus erat, locum, cuius inspectioni peculiariter adfixus foret, habere debuit; id tamen non vetabat, quin illis praesertim temporibus, quibus Fidei propagandae caussa praecipuas sibi partes deposcebat, Apostoli, siquam sibi Ecclesiam singulariter regendam adseruissent, ad alias quoque perlustrandas excurrerent. Quamobrem siquid Anonymus efficere voluit, non de *Petri* itineribus sollicitus esse debuit, sed in illud incumbere, ut eum peculiarem, et quasi privatam *Romanae* Ecclesiae curam numquam sibi adscivisse demonstraret. Id *Irenaeus* negat; id negant quotquot veteres inter illius Ecclesiae Episcopos principem *Petro* locum tribuisse mox videbimus. Hisne fidem denegabimus, ut nupero Anonymo credamus? *At consequens esset, praerogativam hanc non* Romae *propriam, sed cum multis aliis Urbibus ipsis communem esse.* Ego vero hoc unum hinc *consequens* esse video, quod Anonymus nihil intelligat. Si enim de *Petro* agimus, *hanc* nemo *praerogativam Romae* cum *Antiochia communem* esse inficiatur; hoc tamen discrimine, quod quum *Antiochia* relicta *Petrus Romam* adierit, ibique demortuus sit, quin sedem alio transferret, Primatum non

Antiochenis, sed *Romanis* suis successoribus Episcopis veluti legasse dicendus sit. Sin autem de aliis Apostolis loquamur, utique et aliae praeter *Romanam* Ecclesiae sunt, quas Apostoli constituerunt; *Romana* tamen caeteris omnibus tantum praestat, quantum reliquos Apostolos divino iure *Petrus* auctoritate antecellebat. Quid autem hinc ad labefactandam Ecclesiae *Romanae* dignitatem sequatur, nec ego video, nec ullus, credo, cui quidem cerebrum in capite fuerit, intelliget.

III. Nos interea alia antiquorum post *Irenaeum* testimonia proferamus. Vetustus auctor carminum in *Marcionem* inter *Tertulliani* opera excusus sic canit (4):

Ex quibus electum magnum, Plebique probatum
Hac Cathedra Petrus QUA SEDERAT IPSE, *locatum*
Maxima Roma Linum *primum considere iussit.*

Tritus est de *Petro Eusebii* locus in chronico: *Quum primum* Antiochenam *Ecclesiam fundasset,* Romam *proficiscitur, ubi Evangelium praedicans viginti quinque annis eiusdem Urbis Episcopus perseverat. Hieronymus* quoque in libro *de viris illustribus* quum *Antiochensis* Ecclesiae Episcopatum a *Petro* gestum memorasset, addit: *Secundo* Claudii *anno ad expugnandum* Simonem *Magum*

(4) *Lib.* V.

Romam *pergit: ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit usque ad ultimum annum* Neronis, *idest decimum quartum.* Qua in re licet quod ad annos *Claudii,* et *Neronis* spectat, deserendus nobis *Hieronymus* videatur, in caeteris, et quod ad ipsam veluti rei substantiam pertinet, et a consentientibus Patribus suffragium habet, et Patrum vicissim testimonia ipse confirmat. *Epiphanius* in his (5) *Romae,* inquit, *primi omnium* Petrus, *et* Paullus *Apostoli pariter, atque Episcopi fuerunt; inde* Linus. *Optatus Milevitanus* (6) eumdem successionis ordinem, uti et *Augustinus* (7) sequuntur. *Cathedra unica est,* inquit ille, *quae est prima de dotibus:* SEDIT PRIOR Petrus, cui SUCCESSIT Linus. Hic vero ait: *Si ordo Episcoporum succedentium considerandus est, quanto certius, et vere salubriter ab ipso* Petro *numeramus, cui totius Ecclesiae figuram gerenti Dominus ait:* Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam? Petro *successit* Linus etc., et alio loco (8): *Cathedra tibi quid fecit* Ecclesiae Romanae, *in qua* Petrus *sedit, et in qua nunc* Anastasius *sedet?* Ubi idem quod de *Anastasio,* verbum usurpat de *Petro: sedit, sedet;* ut *Romanus* Episcopatus nisi *Anastasio* stultissime denegetur, ne *Petro* quidem eripi possit. *Augustino* addatur

(5) *Haer. 27.*
(6) *Lib.* I. *contr.* Parmenian.
(7) *Ep. 165. ad* Generos.
(8) *Lib.* II. *contr. litt.* Petil. *cap. 55.*

Prudentius, qui in Hymno de *S. Laurentio* sic canit:

> Romae *iam regnant duo*
> *Apostolorum Principes:*
> *Alter vocator Gentium,*
> *Alter Cathedram possidens*
> *Primam, recludit creditas*
> *Aeternitatis ianuas.*

En quid *Paullus,* quid *Petrus Romae* praestiterit; ille vocavit Gentes, hic *Cathedram possedit primam. Severus Sulpicius* (9) *Petrum,* et ante *Paullum Romam* venisse, et Episcopum ibidem fuisse narrat: *Namque eo tempore divina apud Urbem Religio invaluerat,* Petro *ibi Episcopatum gerente, et* Paullo, *posteaquam ab iniusto Praesidis iudicio Caesarem appellaverat*, Romam *deducto.* Quid plura? *Cassiodorus* Coss. *Saturnino II.* et *Venusto*, Petrus, inquit, *Apostolus* Romam *mittitur, ubi Evangelium praedicans,* xxv. *annis eiusdem Urbis Episcopus perseverat.*

IV. Patribus antiquissimi Mss. *Romanorum* Pontificum Catalogi in xxv. annis *Romanae* Sedis *Petro* adscribendis concinunt, ut ne alios memorem a *Schelestratio*, *Pagio*, aliisque vulgatos, *Bucherianus* ante *Liberii* mortem conscriptus, et *Henschenianus,* qui in *Felice IV.* (obiit is a. 530.)

(9) *Lib.* II. *Histor.*

explicit. Adde Pontificum *Romanorum* seriem in *Ostiensi S. Paulli* Basilica depictam, atque a *Marangonio* illustratam. Huius primam, eamque vetustissimam partem, quae *post confessionem*, ut aiunt, visitur, alii ad *Symmachum*, alii ad *Leonem M.* veluti auctorem referunt; ego vero in *historia litteraria Italiae* (10) picturas illas ad *Zosimum*, qui primus omnium *Sanctus* inscribitur, quum *Ostiensem* Basilicam a *Theodosio* coeptam *Honorius* perficeret, circa annum ccccxxvii. quo *Innocentius I.* decessit, primum positas fuisse conieci; quod etiamnum placet. A *Petro* ergo illa initium sumit, eique annos xxv. menses ii. dies septem adscribit.

V. Ad haec *Romanus* Episcopatus passim a Patribus *Cathedra, et Sedes Petri* appellatur. Sic *Cyprianus* in epistola (11) ad *Cornelium* Papam, *navigare audent, et ad* Petri *Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est.* Similiter ad *Damasum* (12) scribebat *Hieronymus: Beatitudini tuae, idest* Cathedrae Petri *communione consocior. Augustinus* vero in Psalmo contra partem *Donati, numerate,* inquit, *Sacerdotes vel ab ipsa Sede* Petri, *et in ordine illo Patrum, qui cui successit, videte.* Neque aliter *Augustini* vindex *Prosper* in Carmine

(10) *Tom.* v. *pag. 567.*
(11) *Ep. 55.*
(12) *Ep. 57.*

de ingratis:

> *Sedes* Roma Petri, *quae pastoralis honoris*
> *Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,*
> *Relligione tenet.*

Romanus quoque Pontifex *Piscatoris successor* ab *Hieronymo* (13), et *Petri successor* fere audit (14); immo Patribus idem est *Romanum* Episcopum esse, quod *locum* Petri *tenere. Cyprianus* (15): *factus,* inquit, Cornelius *Episcopus, quum* Fabiani *locus, idest quum locus* Petri, *et gradus Cathedrae Sacerdotalis vacaret.* Quod et diserte in *Ephesino* Concilio, nullo Patrum non probante, professus est *Philippus* Presbyter, et Apostolicae Sedis legatus (16) his verbis: *Huius* (Petri) *itaque secundum ordinem successor, et locum tenens Sanctus beatissimusque Papa noster* Coelestinus *Episcopus.* Haec enim qui dici vere ac proprie potuisse, quin *Petrus* et *Romanam* constituerit Ecclesiam, et illi Episcopus praefuerit, ea solum de caussa, quod *ibi Evangelii Doctrinam disseminaverit, sacrumque ministerium exercuerit,* cum Anonymo nostro (17) doceat, omnium se se ludibriis exponat. Cur enim *Cathedra Petri Hiero-*

(13) *Loc. cit.*
(14) Ennod. *in Apolog.*
(15) *Ep.* II. *ad* Antonian.
(16) *Act.* III.
(17) *Pag. 356.*

solymitana Ecclesia, quam certe *Petrus* verbi ministerio excoluit, a nullo, qui probatus quidem fuerit, Scriptore appellata est? cur *Romana* ipsa *Paulli Cathedra* adeo dicta non fuit, ut *Prudentius Petri,* et *Paulli* munera explicans, huic vocationem Gentium, Cathedram illi adiudicarit? Equidem scio, Episcopos interdum *locum* Petri *obtinentes* vocari, ut ab *Ephraemo* (18), et a *S. Gaudentio Brixiensi Ambrosium* dici *Petri* successorem (19); verum ut de hoc primum loquar, *Gaudentii* sententia, recte monente *Raynaudo* (20), alio pertinet: *significare enim voluit* S. Gaudentius, B. Ambrosium *idipsum tunc facturum adloquendo populum pro omnibus Episcopis ibi adunatis, quod fecit* S. Petrus; *quum os fuit omnium Apostolorum, respondens Christo pro omnibus: quae ratio denominandi* S. Ambrosium *successorem* S. Petri, *est plane extranea huic negocio.* Episcopos porro dum *Petri* successores interdum appellatos audis, figurata loquutio est, qua in *Petro* Episcopos constitutos, et ad ovium suarum curam praeformatos intelligamus, quam si cum *Natali Alexandro* (21) *indirectam*, ac *collateralem successionem* dicere quis velit, non abnuam. Non ita de *Romano* Pontifice Patres loquuntur; nam et illum κατ' ἐξοχὴν hoc nomine designant, et or-

(18) *Orat. de Laud. Basil.*

(19) *Tract. in die ordinat. suae.*

(20) *In corona aurea Rom. Pont. V. Successor.* B. Petri.

(21) *In Saec.* I. *Diss.* IV. §. 4.

dinem successionis notant, ut *Augustinus*, immo et ad vacantem Sedem id referunt, quemadmodum *Cyprianus;* quae sane propriae, non metaphoricae, aut certe, quemadmodum idem *Natalis* ait, *directae* successionis nobis ius, ac significationem produnt.

VI. Quae tandem ex hactenus disputatis consequantur, facile est intelligere. Nempe quum *Petrus* primatum non honoris, sed verae potestatis a Christo obtinuerit, ac dimissa *Antiochena* Sede *Romam* convolarit, ibique Cathedram fixerit, ubi et Martyrio sublatus est, nonnisi *Romanus* Pontifex verus eius successor haberi debet. Verum heic Anonymus intercedit (22), et a nobis quaerit: *an serio, an ioco sic respondetur? Num in magistratu homo homini vivo non succedit, sicut et mortuo? Quum ab Episcopatu recedit Episcopus aliquis, qui in locum eius succedit, nonne ut sedem recedentis, sic et omnia iura eius aeque, ac si mortuus fuisset adipiscitur?* Scilicet Anonymus non ioco, sed serio insanit. Quis umquam nonnisi mortuo succedi posse somniavit? Immo hoc cum *Bellarmino* (23) dicimus, quod *nec serio, nec ioco* umquam Anonymus refellere poterit: *non succeditur, nisi cedenti locum, vel per mortem naturalem, vel per mortem legitimam; idest, depositionem, vel renunciationem:* Petrus *autem adhuc*

(22) *Pag. 346.*
(23) *De Rom. Pont. lib.* II. *cap. 12.*

vivens, et Pontificatum gerens, Antiochenam *Ecclesiam reliquit, et* Romae *Sedem suam fixit.... Restat igitur, ut* Romanus *Episcopus, qui* Petro *in Urbe* Roma *morienti successit, eidem in tota ipsius dignitate, et potestate successerit.* At enim instat Anonymus: *num praerogativa divina, qualis est Primatus, qui Episcopis* Romanis *tamquam* Petri *successoribus adscribitur, adstringi potest ad locum, in quo mortuus est hic Apostolus? Quod si ita esset, quid de illo Primatu fiet, quum* Roma, *ex Prophetarum, et* Iohannis *vaticiniis, abyssu perpetuo submersa manebit?* Stupor hominis! Quid opus fuit, ut ad *Romanae* Urbis interitum provocaret? Quum *Romani* Pontifices *Avenione* degebant, numquid *Petri* successores non erant? Ergo Primatus *Petri* ea tantum ratione *adstringitur ad locum, in quo mortuus est hic Apostolus,* ut qui *Romani* Pontifices dici possunt, ii soli eius successores haberi debeant: at *Romanorum* Pontificum successio non ex eo loco pendet, ubi ii commorentur, sed ex loco ubi primum illi consederunt, quibus ipsi non interrupta serie suffecti sint. Quare si *Roma* eversa fuerit, Pontifices alio migrabunt, *Romani* tamen Pontifices erunt, ut qui ad *Romanorum* Pontificum, qui ipsos antecesserunt, ordinem pertinebunt.

VII. Sed audiamus caetera, quae Anonymus magno hiatu nobis obiicit. « Qua ratione, *in» quit* (24), dici potest *Petrum* Sedem suam in

(24) *Pag. 348.*

„ Urbe *Roma* fixisse; quum, *Irenaeo* auctore, ipse
„ *Petrus,* dum viveret, *Linum* huic regendae Ec-
„ clesiae Episcopum praefecerit? *Fundantes et*
„ *instruentes Ecclesiam Beati Apostoli* Lino *Epi-*
„ *scopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt.*
„ Ex hac traditione, qua *Linus* Episcopatum ad-
„ ministrandae Ecclesiae *Romanae* a vivente *Pe-*
„ *tro* suscepit, nova difficultas oritur, laqueusque
„ texitur inextricabilis divini Primatus *Romano-*
„ *rum* Pontificum defensoribus. Quid enim respon-
„ debunt, si quaeram ab eis, cui post hanc tra-
„ ditionem proprius manebat hic Primatus? Si-
„ bine soli eum *Petrus* servavit? Eone deposito
„ integrum *Lino* contulit? An Primatum hunc
„ sibi retinens ipsius tamen *Linum* fecit partici-
„ pem? Si primum respondeant, primus *Romae*
„ Episcopus sine primatu fuit; eminens ergo haec
„ praerogativa a *Romana* Sede separata manet,
„ proindeque *Romani* Pontifices non in alio stant
„ gradu, ac caeteri omnes Episcopi. Si secundum,
„ non solum *Paullus, Iohannes,* caeterique Apo-
„ stoli gradu suo deiicientur, utpote uni ex di-
„ scipulis facti subiecti, sed et ipse *Petrus Lino*
„ inferior factus est, contra Salvatoris institu-
„ tum. Si tandem tertium respondeant, evanescit
„ ergo Primatus, in nihilumque redit opinatum
„ hoc unitatis centrum, quum Primatus nec in
„ duobus, nec cum aequalitate subsistere possit.
„ Quis aliunde *Petro* potestatem fecisset privile-
„ gium suum sibi servatum cum aliis tamen com-

» municare? Num ex arbitrio sic poterat insti-
» tuta Christi per additionem immutare? » Quam subtiliter! quam acute! quam nervose! Quid tamen si ex hoc laqueo, quem Anonymus *inextricabilem* putat, nullo negocio elabamur? Diximus supra, *Petrum,* quum *Romam* tantisper relinqueret, suas interea *Lino* vices a. LVI. commisisse; aliud tamen *Irenaeum* verbis illis, quibus adversarius abutitur, indicare voluisse crediderim, nempe Apostolos morti proximos *Lino Episcopatum administrandae* Romanae *Ecclesiae tradidisse.* Si hoc *Irenaeus* docuit, hoc unum ille tandem significavit, *Linum* a *Petro* suum successorem designatum fuisse. Neque tamen *Linus* iam tum Primatum habuit, nisi qua, Episcopatum *Romanum,* designatione: ubi vero *Petrus* sanctissimam efflavit animam, *Linus* cum *Romano* Episcopatu Primatum adcepit. Quid hinc absurdi? Numquid propterea ipse *Petrus Lino* inferior factus esset? Minime vero, nisi fortassis Anonymus ineptissime velit, Consules, ubi futuri in annum sequentem Consules designarentur, gradu suo excidisse, et his *inferiores factos* fuisse. Quod si de *Lino* loquamur *Petri,* dum is *Roma* abesset, vicario relicto, tam procul a vero erit, tunc *Lino* Primatum vel integrum, vel aliqua ex parte collatum fuisse, quam falso quis Episcopi Vicario eamdem, quam Episcopus habet, auctoritatem inesse contenderet. En igitur *inextricabilem* illum laqueum non extricatum modo, sed plane contritum.

VIII. Instabo igitur tandem adversario, illumque ad *Romani* Pontificis fatendum Primatum proposita iam argumentatione invitum compellam. *Petro* Christus in bonum unitatis, Ecclesiaeque suae ad saeculorum finem permansurae Primatum concessit; non igitur Primatus cum *Petro* deficere debuit, sed dum adspectabilis hic mundus exstabit, cum Ecclesia perdurare. Recte *S. Leo M.* (25): *manet dispositio veritatis, et Beatus* Petrus *in adcepta fortitudine Petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit. Perseverat videlicet* Petrus, *et vivit:* in quibusnam? *In successoribus suis.* At quinam hi successores? « Primatus *Petro* delati ratio, *ut bene monuit Ballerinius* (26), nullam particularem Sedem Episcopalem, cui ipse adligaretur, per se videtur postulasse. At quod per se *Petri* Primatus non exigebat, certa requirebat illius in Primatu successio, quae in bonum Ecclesiae perseverare, facileque expediri debebat, ut probe observavit *Bossuetus* (27) *in defensione declarationis Cleri Gallicani* lib. 10. al. 15. c. 5. Petri *successores quum ordinandi fuerint, de Coelo lapsuri non sunt; neque ad creandos eos, ubi opus fuerit, totam Ecclesiam citari, commoverique oportebit. Necesse ergo est, aliqua ut sit Catholicae Ecclesiae pars, ex qua existant, aliique aliis sub-*

(25) *Serm.* II. *de anniv. adsumpt. suae.*

(26) *De vi ac ration. Prim. pag. 2.*

(27) *Tom.* II. *nov. edit. 1745. pag. 190.*

» *rogentur. Quare ita constituti sunt, ut non modo*
» *universae Ecclesiae praesint, sed, quemadmodum*
» *caeteri Episcopi, peculiarem habeant, quam re-*
» *gant, Ecclesiam, nempe* Romanam, *quam* Petrus
» *fundarit, et rexerit.* Id etiam necesse fuit, ne
» vagus, incertusque esset Summi Pontificis lo-
» cus, quo in urgentibus Ecclesiae necessitatibus
» ex remotissimis quoque regionibus tute confu-
» geretur. Si enim sedes eius vaga esset et in-
» certa, et modo huc, modo illuc in longinquas,
» et dissitas Orbis partes Summi Pontifices discur-
» rerent, nesciretur, quo dirigendae essent litte-
» rae; quod Christianae rei plurimum detrimenti
» adtulisset. Hinc ergo particularis Episcopatus
» a *Petro* eligendi, cui Primatis persona adliga-
» retur, necessitas agnoscitur. » *Petri* igitur successores vel inter *Antiochenos*, vel inter *Romanos* Episcopos quaerendi sunt, quum *Petrus* alias quidem Ecclesias constituerit; sed duas tantum illas *Antiochenam*, et *Romanam* privatim Episcopali officio sibi regendas adsciverit. At de *Antiochenis* Episcopis, quibus *Nicaenum* Concilium tertium inter Patriarchas locum adiudicavit, nemo id hactenus somniavit; neque iniuria, quum *Petrus* Episcopatum illum *Antiochensem* dimiserit. Quid igitur restat, nisi ut *Romanus* Episcopus sit *Petri* successor, in quem divino iure Primatum ille suum transtulerit? Quoquo se adversarius vertat, numquam huius argumenti vim declinabit. Resipiscat potius, et quibus offundeba-

tur, tenebris tandem adeo perspicua veritatis luce discussis *Petrum*, et in *Petro* eius successores veluti universae Ecclesiae a Christo constitutos Primates, Principes, ac Magistros nobiscum venerari tandem condiscat.

EXPLICIT

DE · SANCTI · PETRI · PRIMATV

ROMANOQVE · EPISCOPATV

DISSERTATIO

A · REPARATI · HVMANI · GENERIS

CIↃ · IↃ · CC · LXXVI

IDIBVS · IVNII

PRAESIDENTE · ECCLESIAE

(ANNO · II)

SVB · ILLIVS · NOMINE · CVIVS · A · DOMINO

IESV · CHRISTO · EST · GLORIFICATA · CONFESSIO (1)

PIO · VI

INDVLGENTISSIMO

PRINCIPE

(1) S. Leo *ep. 32. ad Marcian. et Faustum Presbyt.*

EXCERPTUM

EX ANTIFEBRONIO VINDICATO DISSERT. II. CAP. 3, AD QUOD LECTORES REMITTIT CL. ZACCARIA IN OPERE DE PRIMATU S. PETRI CAP. 1. §. 3. (VID. SUPR. PAG. 4).

Illud super recitatis Matthaei verbis *(cap. XVI)* primo in quaestionem venit, quid Petrae nomine Christus designarit, dum dixit: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Ait Febronius cum suis primae notae auctoribus nihil minus heic inveniri, quam unanimem, aut etiam plurimorum Patrum consensum in horum textuum interpretatione romanorum postulatis favente. Ego autem ex eo sciscitabor, quid demum requireret, ut unanimis, aut etiam plurimorum Patrum consensus in horum textuum interpretatione romanorum postulatis faveret? Nihil equidem postulari posse video, nisi ut vel omnes, vel certe plerique Patres Petram unum Petrum intelligerent. Atqui in *Antifebronio* prolatis ex omni retro aetate Patrum testimoniis illos fere omnes ita sensisse ostendi. Primo enim (1) Tertulliani, Cypriani, Firmiliani sententias adtuli; tum cum *Perronio* ac *Maimburgo* (2) animadverti nullum ex Patribus, qui

(1) Diss. I. cap. 4. num. 6.

(2) Addere poteram non solum Emmanuelem a Schelestrate *(Antiquit. illustr. dissert. II. de auctorit. Apostol. c. 5. art. I. n. 11.)*, sed ipsum Natalem Alexandrum diss. IV. in hist. eccles. saec. I.

quidem ante *Arrianam* perfidiam scripsere, inventum iri, qui *Petrum* petrae nomine denotatum non adfirmarit. Erat *Febronii* haec testimonia, si poterat, aliqua ratione convellere. Cur falsitatis me non redarguit in iis recitandis? Cur non est illa interpretatus? Enimvero si per tria priora Ecclesiae saecula Apostolis ipsis, atque apostolicis viris adeo proxima haec erat Patrum traditio, petram, super quam aedificata Ecclesia est, Petrum fuisse, quis tam audax ut romanos irrideat, quasi vanissimos fictitiorum privilegiorum ostentatores? Sed non alia sequentium saeculorum sententia fuit. Basilii, Zenonis, Epiphanii, Iohannis Chrysostomi, Ambrosii, Chrysologi, Cyrilli Alexandrini, Paullini Nolani, Maximi Taurinensis verba fuerunt a me citata. Auctor praeterea meis lectoribus fui, ut eruditissimas Mamachii Origines et antiquitates christianas adirent, ubi tomo quinto (3) alios non paucos idem omnino edicentes legere est. Paucine isti sunt? Suntne levioris notae?

At enim sunt Patres aliqui, qui petram Christum appellant; sunt longe plurimi, qui petram ipsam Petri confessionem intelligunt. Non negavi. At etiam illud ostendi, eosdem illos Patres, qui quarto saeculo, caeterisque insequentibus haec tradiderunt, antiquae et a praecedentis aetatis traditione confirmatae de Ecclesia supra Petram,

(3) Lib. IV. c. I. §. n. 4. pag. 137 seq. Ed. Rom. an. 1755.

idest Petrum aedificata interpretationi inhaesisse. Leonis M. verba produxi; multo plura adferri poterant ex Cyrillo Alexandrino, Ambrosio, Augustino, etc. Quod certissimo argumento esse debet, Patres ex errorum, qui enati in Ecclesia sunt, occasione caussas habuisse, cur paullo aliter illa verba explicarent (4); non tamen veterem

(4) Atque Augustinus quidem, qui auctor fuit, ad Christum verba illa *super hanc Petram* referri debere, ita sensit, quia ut Natalis Alexander adnotavit *(cit. diss. IV. in saec. I. §. 3.)*, « contra Donatistas agebat, qui sacramentorum vim » in ministrorum sanctitate collocabant; unde timens, ne si » Ecclesia in Petro fundata diceretur, homines de sanctitate » ministrorum Ecclesiae praesumerent, ac super eos spiri- » tale fundarent aedificium, totam fundamenti rationem » ad Christum revocavit. Hoc scrupulo adductum S. Augu- » stinum eam amplexum fuisse interpretationem, constat ex » sermone 13. de verbis Domini, ubi subiungit: Nam volentes » homines aedificari super homines, dicebant: Ego quidem » sum Paulli, ego autem Apollo, ego vero Cephae: ipse est » Petrus. Et alii, qui nolebant aedificari super Petrum, sed » super petram: Ego autem sum Christi. Apostolus autem » Paullus, ubi cognovit se eligi, et Christum contemni: Di- » visus est, inquit, Christus? Numquid Paullus pro vobis » crucifixus est, aut in nomine Paulli baptizati estis? quo- » modo non in Paulli, sic nec in Petri, sed in nomine » Christi: ut Petrus aedificaretur supra petram, et non petra » super Petrum. Idem ergo Petrus a Petra cognominatus » Beatus, Ecclesiae figuram portans, apostolatus principatum » tenens, continuo post paullulum iam audito quod Beatus es- » set,...posteaquam audivit futuram Domini passionem...dis- » plicuit ei. Timuit ne perderet morientem, quem confessus » fuerat vitae fontem, turbatus est: Absit a te, inquit, Do- » mine. Itaque S. Augustinus, ad errorem Donatistarum re-

explanationem aut abiecisse aut minus probasse. Quid vero si hae Patrum interpretationes *ad speciem diversae, in substantia tamen* non sint *discordantes?* Atqui id auctore *Febronio* ipso adfirmamus; haec eius sunt verba (5). Quamquam si

„ vincendum ostendit Ecclesiam ex firmis, infirmisque membris constare, sanctumque Petrum huius rei insignem „ quamdam figuram, modo fidere, modo titubare; nunc Christum vitae fontem confiteri, nunc timere, ne moriatur, „ tandemque colligit: In illo ergo uno Apostolo, id est Petro, „ in ordine discipulorum primo et praecipuo, in quo figurabatur Ecclesia, utrumque genus significatum fuit, idest, „ firmi et infirmi, quia sine utroque non est Ecclesia. Quibus verbis Donatistarum error evertitur qui hominum „ tantopere fidebant sanctitati, quum nequidem supra Petrum aedificare deberent fideles, quippe qui infirmus fuisset ac peccator, cui dextera Christi fuisset opus, quae „ illum erigeret, titubantemque fulciret. „ Qui vero Petrae nomine fidem ac confessionem Petri intellexere, ut Arrianorum errori obviam irent, hanc sunt amplexi sententiam. Quum enim Arriani (iterum Natalis Alexandri verba usurpare liceat, ut Febronius tantam huius scriptoris auctoritatem vereatur, etsi id Natalis ex Perronio mutuatus est) « Christi divinitatem palam impugnassent, Sancti Patres, „ qui firmissimum catholicae caussae praesidium in illis „ S. Petri verbis: Tu es Christus Filius Dei vivi, positum „ animadverterunt, istius confessionis dignitatem summis „ laudibus extulere. Unde quia S. Petrus illius in gratiam „ et ob illius meritum, constitutus fuerat fundamentum Ecclesiae, ipsammet confessionem fundamentum Ecclesiae „ nuncuparunt, metonymice, id est, translato nomine effectus ad caussam, ut Arrianos illius impugnatores liberius „ ac verius velut fundamenti Ecclesiae destructores insectari „ possent. „

(5) T. 1. cap. I. §. 2. n. 5.

plene et perfecte id quod est, dicere voluisset, non solum explicationes illas *ad speciem diversas, in substantia tamen non discordantes* appellare debuerat, sed eiusmodi, ut vetustissimam, nec umquam obsoletam interpretationem, quae petram a Christo nominatam *Petrum* designat, necessario vel sumant vel arguant. Illas animo repetamus.

Prima *Augustini,* paucorumque qui illum sequuti sunt (6), Petram Christum intelligit, ut

(6) Paucos dixi, licet Natalis Alexander pene sui oblitus *(Dis. IV. in hist. eccles. saec. XV. et XVI. §. III. n. XI.)* satis multos pro hac explicatione post Launoium indicet. « Sunt » autem, inquit ille, SS. Hieronymus in cap. 7. S. Matthaei, » Augustinus sermone 13. de verbis Domini, tractatu 124. » in Iohannem, et lib. I. retractationum cap. 21., Theodoretus » in cap. 3. epistolae I. ad Corinthios, Venerabilis Beda in » cap. 16. S. Matthaei, Paullinus Aquileiensis Episcopus » lib. 1. contra Felicem Urgelitanum Episcopum, Dungalus » Diaconus lib. contra Claudium Taurinensem Episcopum, » Rhabanus Maurus lib. 4. de universo cap. 1., S. Anselmus » in cap. 16. S. Matthaei, Petrus Lombardus Parisiensis Episcopus, Magister sententiarum nominatus in cap. 2. epistolae ad Ephesios, Ioannes Saresberiensis Carnotensium » Episcopus epistola 166. ad Cantuariensem Archiepiscopum, Coelestinus III. Pontifex maximus epistola 14. ad » Lincolniensem Episcopum, Innocentius III. sermone 2. de » consecratione Pontificis, S. Thomas in cap. 4. epistolae 1. » ad Corinthios, ad ista verba: Fundamentum aliud nemo » potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. » Quibus Febronius *(T. I. p. 15.)* Hildebertum addit serm. IV. in Dominic. Palmar. Verum ut a viro docto in exercitatione biblica in illud Matth. XVI. Tu es Petrus, Romae edita a. 1768, animadversum est, si Bedam, Dungu-

nempe (quod aiebat S. Doctor in loco, quem supra adnot. 13 *(hîc. 4)* recitavimus) *Petrus aedificaretur supra Petram, et non Petra supra Petrum.* Verum quid hoc demum est? Eo id tantum spectat, ut intelligamus, *Petrum* ipsum debuisse supra petram

lum, Rhabanum, vulgatum Anselmum, atque Hildebertum excipias, qui Augustinum exscribunt, caeteri aliud omnino intelligunt, quam quod aiunt triumviri illi pontificio Primatui deprimendo. Nempe « Theodoretus ibi exponens non tam » verba: Super hanc petram, sed alia: Ecclesiam meam, do- » cet Ecclesiam denominari meam a Christo eius fundamento: » quod quis negat? Idem est sensus Coelestini III. ep. 14. » (dici debuit 13.), et Innoc. III. serm. 2. de consecr. Pont. » vim enim faciunt in iis verbis: Ecclesiam meam; non an- » tem explicant ea verba, de quibus est quaestio. » Hieronymus porro (quod idem de Paullino Aquileiensi, Iohanne Sarisberiensi, Goffrido Viterbiensi, ac Pio II. dictum esto) non Matthaei locum ex cap. XVI. de quo nunc agimus, sed alium ex cap. VII. interpretatur, ubi de Ecclesia ait: Fundata enim erat supra petram; super hanc petram Dominus fundavit Ecclesiam; ab hac Petra apostolus Petrus sortitus est nomen. At haec omnia sunt extra rem. Quis enim negat, quod Petra, de qua Matth. cap. VII. sit Christus? Lis est de Petra, de qua Matth. cap. XVI. Numquid quia Ioh. cap. VIII. Christus dicitur Lux mundi, idcirco cap. V. Matth. in iis verbis: Vos estis lux mundi, Apostoli non dicuntur lux mundi? Quis etiam non fatetur, quod Simon filius Iohannis sortitus sit nomen appellativum Petri, seu titulum per communicationem a Petra Christo? super quem Christum, tamquam super fundamentum fundamentorum, ut loquitur Augustinus in Psal. LXXXVI. fundata Ecclesia est? Haec fatemur omnes. Quare ut cum appellatae exercitationis Auctore concludam, haec omnia citantur extra rem, et ut implendo paginas fucum faciant ineruditis.

Christum aedificari. Super quod fundamentum, ait idem Augustinus (7), etiam ipse aedificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. At id fatemur omnes, qui Christum caussam principem, et praecipuum in aedificatione fundamentum agnoscimus. Hoc inquirendum superest, num ita *Augustinus* Christum Ecclesiae atque adeo *Petri, in quo figurabatur Ecclesia,* fundamentum dixerit, ut *S. Petrum* fundamentum esse a Christo secundum diffiteretur. Id autem falsum omnino est. Primo enim quis neget, posse aliquid alterius esse fundamentum, licet ipsum altero eoque graviore fundamento indigeat? Nonne *Febronius* (8) Ecclesiam super omnes Apostolos fuisse fundatam contendit? Nec tamen si sapuerit, *Augustinum,* qui *Petrum* ipsum Christo superaedificatum statuit, non idem de caeteris Apostolis sensisse adfirmarit. Deinde ita *supra petram* aedificatum *Petrum* Augustinus in eodem de verbis Domini sermone XIII. docet, *ut eum primum et praecipuum Apostolorum* vocet, eiusque *apostolatus principatum* verbis magnificis extollat. Immo (9) *Petrum* cum caeteris Apostolis comparans ait: Inter hos pene ubique SOLUS PETRUS totius Ecclesiae meruit gestare personam; propter ipsam personam, quam totius Ecclesiae

(7) Tract. CXXIV. in Ioh.
(8) T. I. cap. I. §. 2. n. 3.
(9) Serm. CVIII. de divers. cap. II.

solus gestabat audire meruit: Tibi dabo claves regni coelorum. Quare quum *Petro* simul dictum a Christo fuerit et: tibi dabo claves regni coelorum, et: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, solus etiam totius Ecclesiae gestabat personam, quum Dominus hisce illum verbis adloquutus est: *Tu es Petrus etc.* Vide magnum *Petrum* inter et reliquos Apostolos *Augustino* auctore discrimen. Atqui id unum adserimus quum supra *Petrum* tamquam secundum a Christo fundamentum aedificatam vocamus Ecclesiam. Verbis ergo paullo diversis eamdem rem *Augustinus* indicavit, de eo tantum sollicitus, ne quis *Petrum* propria virtute, et seorsim a Christo Ecclesiam aedificasse existimaret. Dic Ecclesiam in Christo fundatam per *Petrum* divina eius firmitate solidatum; plane adsentietur *Augustinus.* Heinc non dubitavit adserere (10): *Ecclesia quae fundatur* in Christo, *claves* ab eo *regni coelorum adcepit* in Petro. Sed si illud adfirmaris, an non *Petrum* proximum a Christo Ecclesiae fundamentum agnoveris? *Augustini* igitur doctrina non solum a caeterorum Patrum interpretatione non dissentit, ut solum quod in ea Donatistis cavillandi occasionem praebere poterat, de medio tollat, rem ipsam confirmet.

Altera post exortam Arrianorum haeresim apud Patres longe communissima evangelici tex-

(10) Tract. cxxiv. in Ioh.

tus explanatio confessionem, fidemque *Petri* heic *Petrae* nomine a Christo commendatam tradit. Patres hanc in rem, ac tractatores omnino XLIV. adfert Launoius, totidemque ex ipso Natalis Alexander indicat (11). Neque tamen his opus erat. Id enim apud omnes catholicos constans et certum. Quare Iohannes Eckius Luthero, qui evangelicum testimonium de fide *Petri* explicuerat, et supra fidem *Petri* aedificatam Ecclesiam docuerat, incunctanter reposuit (12): quis ei in hoc repugnat? quis negat? quis inficiatur? Ille prodat, nominet quem huius dissensorem. Scilicet qui *Petri* fidem in *Petra* significari aiunt, ab illis qui *Petrum* ipsum *Petram* agnoscunt, adeo non dissident, ut ne intelligi quidem possit, quomodo fidem *Petri* fundamentum Ecclesiae velint, quin *Petro* id gloriae tribuant. Argumento ad id utar, quod *Febronius* mihi suppeditat. « Eumdem sen- » sum, inquit ille (13), retinet oratio in missa » vigiliae Apostolorum *Petri* et *Pauli* in missali » romano: Praesta quaesumus omnipotens Deus, » ut nullis nos sinas perturbationibus concuti, » quos in apostolicae confessionis petra solidasti. » Cui nullatenus repugnat Oratio pro festo Ca- » thedrae *S. Petri* die 18 Ianuarii in missali et » breviario praescripta: Deus qui *B. Petro* Apo- » stolo tuo collatis clavibus regni coelestis li-

(11) T. VIII. diss. IV. art. I. §. 3. n. 13.
(12) Lib. I. de primatu Petri c. 13.
(13) Lib. I. cap. I. §. II. n. 1. p. 13.

» gandi atque solvendi pontificium tradidisti etc. » Itaque cum non aliter credat, et aliter oret » Ecclesia *(legem* enim *credendi lex statuit sup-» plicandi,* ut scribit *Coelestinus I.* ad episcopos » *Galliae),* videtur esse doctrina *Ecclesiae,* ut haec » ipsa supra confessionem *S. Petri* fundata cre-» datur. » Recte. Nunc age: eadem Ecclesia *Petrum* esse *Petram* a Christo designatam in suis ecclesiasticis hymnis diserte canit, immo hic *sensus etiam Augustini* aetate, cuius haec verba sunt (14), *cantabatur ore multorum in versibus beati* Ambrosii (ab Ecclesia receptis) *ubi de gallo gallinaceo ait: hoc ipsa Petra Ecclesiae canente, culpam diluit.* « Itaque quum non aliter credat, et aliter » oret Ecclesia *(legem* enim *credendi lex statuit* » *supplicandi,* ut scribit *Coelestinus I.* ad episco-» pos *Galliae),* videtur esse doctrina *Ecclesiae,* » ut haec ipsa sit supra *Petrum* fundata. An autem Ecclesia in credendo a semetipsa dissentire potest? aut saltem variare? Nihil horum catholicus dicet, cui eadem semper, certa, immutabilia sunt fidei dogmata. Quid ergo? Eo demum veniendum erit, ut quod ad rem ipsam adtinet, idem esse *Ecclesiam supra Petri fidem,* quod *illam supra* Petrum *aedificari,* fateamur. Id facile *Febronius* intelliget, si quae *Natalis Alexander* hac de re disserit (15), attente recolat, nempe: « Sanctos

(14) Lib. I. retract. cap. XXI.

(15) Diss. IV. in saec. I. hist.-Conf. Antifeb. diss. I. cap. IV. n. 5. praesertim sec. edit.

„ Patres referre ista verba ad fidem et confes-
„ sionem *Petri* non quidem *solam* et *seorsim spe-*
„ *ctatam*, sed prout edita est ab ipso *Petro*, su-
„ umque meritum in illum refudit. Sive (ut cla-
„ rius dicam) haec verba: *Et super hanc Petram*
„ ita intelligunt de *Petri* confessione, ut illa etiam
„ de *Petro* ipso exponant, et cum supra fidem et
„ confessionem *Petri* fundatam scribunt Ecclesiam,
„ caussam *meritoriam* indicant, ob quam *S. Petrus*
„ eam sit consecutus dignitatem, ut fundamentum
„ esset Ecclesiae. Cum vero supra *Petrum* fundatam
„ dicunt, *subiectum* notant illius dignitatis. Sicut
„ igitur, cum *S. Hieronymus* scribit epistola 61.
„ quae est ad *Pammachium* : *Super aquas Petri*
„ *corpus non ambulasse*, *sed fidem*, non negat
„ *S. Petrum* vere et realiter aquis inambulasse,
„ sed tantum significat non agilitati corporis,
„ sed virtuti fidei illud tribuendum miraculum:
„ ita cum sancti Patres Ecclesiam supra sancti
„ Petri confessionem fundatam praedicant, supra
„ *Petrum* fundatam non inficiantur; sed innuunt
„ dumtaxat meritum fidei hanc ipsi supremae di-
„ gnitatis accessionem procurasse. Quod unus in-
„ star omnium *S. Hilarius* facile persuadebit: is
„ enim capite 16. in *Matthaeum* ait: Dignum plane
„ confessio *Petri* praemium consecuta est, quia Dei
„ filium in homine vidisset. Beatus hic est, qui
„ ultra humanos oculos intendisse, et vidisse lau-
„ datus est.... O! in nuncupatione novi nominis
„ felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedifi-

» catione illius petra, quae infernas leges, et tar- » tari portas, et omnia mortis claustra dissolve- » ret! Ubi vides utramque expositionem adstrui, » et Ecclesiam fundatam dici supra Petrum *for-* » *maliter* (ut theologi de schola loquuntur), supra » confessionem vero *Petri caussaliter.* » Hoc solum utramque inter expositionem discriminis est, ut idem *Natalis* prosequitur, quod quae ad ipsam *Petri* personam ea verba refert, *immediata* est; quae de fide *Petri* ipsa interpretatur, *mediata:* illa *primitiva* et *perpetua;* haec *adventitia* et *temporanea:* ista ab initio Ecclesiae quatuor saeculorum serie SOLA tradita; altera vero data *Arrianae* haereseos occasione prolata (16). De unanimi igitur Patrum sententia dubitari non potest, quum plurimi explicate et distincte ea verba ad *Petrum* referant, caeteri ita alio trahant, ut tandem in *Petro* ipso consistant. Mirari autem satis non possum *Febronii* imprudentiam qui eadem Christi verba: et super hanc petram etc. in se ipsis, et independenter ab omni exteriore auctoritate spectata, et attente cum OMNIBUS CON- *et* ANNEXIS *considerata* nobis favere pernegat. « Verba enimvero antecedentia, ut recte idem » *Natalis* (17) monet, scilicet: Beatus es Simon » Bariona, quia caro et sanguis non revelavit » tibi..... Et ego dico tibi, quia tu es Petrus,

(16) Vide adnot. 13. *(hic. 4.).*
(17) Diss. cit. §. I.

„ spectant singularem *Petri* personam: ergo et „ sequentia verba: et super hanc Petram aedifi„ cabo Ecclesiam meam, quae veluti coronidis vice „ adiicit, ad ipsum quoque *Petrum* pertinent. Prae„ terea valde implicata esset ac perturbata series „ verborum Christi nisi eodem tenore orationem „ ad unum *Petrum* flexisset. Hic enim esset illo„ rum sensus: *Tu,* mi apostole, *es* Petrus, *et super* „ *hanc petram,* idest supra me, *aedificabo Ecclesiam* „ *meam; et tibi,* Petro Apostolo, *dabo claves regni* „ *Coelorum.* Quibus verbis quid intricatius pro„ ferri possit, non video. „ Haec sunt *con-et annexa,* quae *Febronius* indicare audet veluti nobis contraria, postquam idipsum a nobis viderat in *Antifebronio* breviter quidem, sed accurate propositum. Quidni ergo aut cum *Carolo d'Argentrè* doctore et socio Sorbonico, atque episcopo *Tutelensi* dicamus (18): *Manifestum est, haec verba:* Tu es *Petrus* et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, a Christo dicta fuisse de persona *Petri,* quem praecipuum Ecclesiae suae fundamentum et unitatis Ecclesiae quasi centrum esse volebat, ut perpetua Ecclesiae traditione constat, sexcentisquè veterum testimoniis qui disertis verbis adseruerunt Petrum, ipsiusque successores in *romana* sede, hanc esse petram firmissimam, super quam Christus Ecclesiam suam fundavit: aut cum *Massiliensi* episcopo adfirmemus *sempiternam fore veritatem,* quod Iesu Christi *Ecclesia fun-*

(18) In loc. theol. cap. VII.

data est supra Petrum et ipsius successores (19)? Quod si tanta *Febronius* auctoritate non terretur, meminerit saltem eorum, quae ipsemet in utroque volumine scripsit. In primo enim ait (20): *Illud nihilominus ex commentario* D. Hieronymi *in supra adductis verbis,* propterea inter omnes unus eligitur, ut CAPITE CONSTITUTO schismatis tollatur occasio: *nec non ex illo magni* Leonis, Petro SINGULARITER hoc creditur, quia cunctis Ecclesiae rectoribus FORMA praeponitur: *demum ex mox referendis verbis S. Augustini: Petro* PRIMITUS, quia in Apostolis *Petrus* est PRIMUS; *rite infertur, etiam ex hoc loco* S. Matthaei *elucescere, et probari Primatum Petri.* In altero vero statuit (21), ut supra notavimus, in celebri hoc *Matthaei* textu duas esse Christi promissiones distinguendas: per *primam* autem (quae iis verbis: *super hanc petram etc.* continetur) Petro *adseri primatum in Ecclesiae, quam Servator noster fundaturus erat, Hierarchia.* Quomodo enim *Petri* heinc duci primatus possit, nisi verba *super hanc Petram* ad ipsum *Petrum*, non autem seu ad Christum, seu ad *Petri* confessionem secluso *Petro* referantur, fateor, hebetis adeo sum ingenii, ut plane non perspiciam. De hac ergo quaestione satis dictum esto.

(19) Docum. pastor. de libertat. Eccl. Gallic. 1733. p. 26. Il sera éternellement vrai de dire, que l'Eglise de Jésus-Christ est fondée sur Pierre et ses Successeurs.

(20) Cap. I. §. II. n. 6. p. 19.

(21) Pag. 171.

EXCERPTA

EX OPERIBUS

THOMAE MARIAE MAMACHII

ET

PETRI FRANCISCI FOGGINII

DE ROMANO

B. PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS

ITINERE ET EPISCOPATU

Cum in *Excerptis* ex Mamachio plures ac persaepe prolixae adnotationes occurrant, visum est breviores quidem alphabeticis litteris indicatas singulis paginis subiicere, prolixiores vere arabicis numeris distictae ad calcem Excerpti eiusdem amandare.

EXCERPTUM

EX

THOMA MARIA MAMACHIO

ORIGIN. ET ANTIQUIT. CHRISTIAN.
LIB. IV PART. II CAP. IV ET V.

PETRUM ROMAM VENISSE,
IN EAQUE URBE MARTYRIO FUISSE PERFUNCTUM,
VETERUM CHRISTIANORUM AUCTORITATE CONSTAT.

Etsi nonnihil me de Petri in urbem adventu dixisse memini in altero Antiquitatum christianarum libro, tamen, ut ordine agerem, ostenderemque, quemadmodum in pontifices romanos auctoritas tanta manaverit; iis explicatis, constitutisque rebus, quae ad eius praecipuam post Christum in ecclesia dignitatem, potestatemque confirmandam spectarent, revertendum ad eam quaestionis partem iudicavi, qua plene cumulateque perfecta, munirem mihi ad episcopatum summi Apostoli romanum statuendum viam, efficeremque, successionis iure, eo principatus honore in re publica populi christiani, iisque privilegiis romanum Antistitem gaudere, quibus auctum fuisse a Christo Petrum multis et sacrorum bibliorum locis, et testimoniis maiorum demon-

stratum est. Quod ut recte distributeque fiat, numerandi principio sunt, qui Petrum iter suscepisse romanum negant, tum ii qui affirmant commemorandi; ut cognitis auctoribus, utri acumine, doctrina, veri a falso distinguendi facultate, animo a studio partium vacuo ac libero, vetustateque praestiterint, intelligatur; propositisque argumentis certa illa, quae diuturnitate temporis confirmata est, atque una cum saeculis, hominumque aetatibus inveteravit, constabiliatur, maneatque sententia.

Quinam Petrum Romam venisse, aut Romae decessisse negaverint.

Itaque primum omnium, uti mihi quidem videtur, qui Petri romanum iter negaverit, Marsilium patavinum (1) fuisse certum est: qui cum magnas cum pontifice inimicitias exercuisset, ad Ludovicum bavarum imperatorem Iohanni XXII. infestum transfugit. Huic (qui in pernicioso, quem de iurisdictione imperiali, et pontificia ad Ludovicum imperatorem dederat, Defensoremque pacis (*a*) inscripserat, libro, Paulum, non Petrum, episcopum videri romanorum dixit, propterea quod Lucas Pauli adventus in urbem meminerit, Petri non item) assensum Iohannem de Ianduno

(*a*) *Defensor pacis p.* II. *cap.* XVI. *pag. 245. apud Goldastum ibid. tom.* II. *edit. an. 1614.* De Ianduno vide quae scripsi (*Lib.* IV. *p.* 2. §. 3. *n.* 4. *Antiq. et Orig. Christ.*)

fuisse ferunt. Sequuti deinceps sunt ii, qui cum male in romanam ecclesiam animati essent, eversumque pontificis maximi summum in christiana re publica principatum vellent, quod cuperent facile sese consequuturos existimarunt, si quam Marsilius inierat, eamdem terere perrexissent viam. In his Iohannes Aventinus, qui annales edidit Boiorum (*a*), Udalricus Velenus (*b*) homo de secta Lutheranorum, Iohannes Calvinus (2), Iohannes Funccius (*c*), Iohannes Baleus (*d*), Magdeburgenses (*e*), Iohannes Henricus Ottius (*f*), Matthias Flacius Illyricus (*g*), Claudius Salmasius (*h*), Fridericus Spanhemius (*i*), Ioachimus

(*a*) In annal. *l.* II. *p. 131. seq. edit. Francford. an. 1554.* de romano Petri itinere falso, atque inepte scribit. Vide Baron. *ad an.* DCCLXXII. *n.*XXII. et Fogginium *Exerc. 1. p. 6.*

(*b*) Veleni hac de re opus extat apud Goldastum monarch. *t.* III. *p. 1. seq. edit. an. 1617.*

(*c*) *In chronico lib.* V. *n. 44. edit. an. 1601.*

(*d*) *In act. rom. pontif. pag. 19. edit. Lugduni batavor. an. 1616.*

(*e*) *In histor. ecclesiast. centur.* I. *lib.* II. *cap.* X. *p. 562. ed. an. 1560.*

(*f*) *Exam. perpet. theologic. in annal. Baron. pag. 393. et 451. seqq. edit. an. 1676.*

(*g*) *De primatu papae,* ut apud Fogginium *ibid.*

(*h*) Claudius Salmasius *in apparatu ad libros de primatu papae p. 13. 14. 15. seq. edit. Lugd. batav. an. 1645.*

(*i*) *Dissertatione de temere credita Petri in urbem Romam profectione, quae est prima in dissertationum historici argumenti quaternione pag. 3. seqq. edit. Lugd. batav. an. 1679.*

Langius (*a*), Franciscus Turretinus pseudo-ecclesiae Genevensis (*b*) ψευδοδιδάσκαλος ab auctore sectae Calvino non dissentiens, auctor opusculi anglice de Petri itinere, atque episcopatu romano, editi 1687 Londini (*c*), alterque auctor item anonymus, qui a Petro ad Benedictum XIII. pontificem antistitum romanorum historiam (*d*) publicavit, aliique haud pauci e numero Protestantium. Iohannes autem Harduinus is, qui vetera monumenta fere omnia, quasi a novis inventa, fraudeque antiquis scriptoribus attributa essent, reiecit, non modo mortuum fuisse in urbe Petrum inficiatus est, verum etiam ita est de summi Apostoli itineribus loquutus, ut mansisse eum perpetuo apud Palaestinos statuisse videretur.

Quinam venisse Petrum Romam, ibique mortuum fuisse crediderint.

Contra sunt qui Petrum ipsum sui adventus Romam testem vocent. Nam Babylonem (*e*),

(*a*) *Histor. eccl. edit. Halae Magdeburg. an. 1722.* Vide Fogginium *ibid.*

(*b*) *Instit. theologicar. loco* XVIII. *quaest.* XVIII. *p. 188. seqq. edit. Traiecti ad Rhenum an. 1701.*

(*c*) Probabilius is esse scribit, Petrum numquam venisse Romam. Confer Fogginium *loco ind. p. 6.*

(*d*) *Tom.* I. *edit. Hagae comitum an. 1732.* Accedit Georgius Hornius *hist. eccl. part.* I. *art.* I. *n.* XVI. *pag. 120. seq. edit. an. 1687.*

(*e*) *Epist.* I. *cap. ult. v. 13. Salutat vos ecclesia, quae est in Babylone collecta.*

qua ex urbe suam se priorem scripsisse epistolam testatur, ipsam esse Romam defendunt. Romam enim in Apocalypsi (*a*) ab Iohanne appellari Babylonis nomine. Atque si non Papiam, at alios tamen veteres, qui ita sint interpretati (*b*) locum illum postremi capitis epistolae prioris Petri, commemorant (*c*). His autem et magni nominis viris, et antiquis, quorum aliqui proxime attigerint aetatem apostolorum, fidem haberi par esse. Prudentem enim, ac sanum, qui hos negligat, ut novis quibusdam, iisque aut Sedis apostolicae inimicis, aut absurdo ingenio praeditis assentiatur, reperiri posse omnino neminem.

Clemens deinde is, qui Petri auditor fuit, in epistola, quam ad Corinthios, post sedatam tempestatem, quae commota ab Domitiano in christianos fuerat, perscripsit; cum res ab hominibus martyrio, non multo ante, Romae perfunctis gestas persequeretur, Petri, ac Pauli (*d*) mentionem fecit, ut quibus institutoribus ecclesia tanta gloriaretur, ostenderet.

Hunc porro sequutus Ignatius vir sane celebris, discipulusque apostolorum, in epistola, quae

(*a*) *Apocalypseos cap.* XVII. *v. 5. seqq.*

(*b*) Apud Eusebium *lib.* II. *historiae cap.* XV. *edit. taurin. p. 59.*

(*c*) Confer Hieronymum *catal. viror. illustr. tom.* IV. *opp. cap.* I. *pag. 102. edit. Martianaei.* Sed de hac re alias.

(*d*) *Epist. ad Corinth. n.* V. *p. 12. tom.* I. *collect. epistolar. romanor. pontificum edit. Coustantii.*

est ad Romanos, non tanta se auctoritate, neque tanta virtute praestare dixit, ut eos quemadmodum Petrus, ac Paulus, docere auderet (*a*). Qua ex re intelligitur, ut Paulum, ita, Ignatio teste, Petrum advenisse Romam, cives docuisse, ecclesiamque constituisse.

Neque minus est illustris Papiae episcopi Hierapoleos de Petri in urbem adventu locus (*b*). Hunc autem, qui ab Iohanne presbytero synchrono apostolorum institutus fuerit, etsi ob tarditatem ingenii dogmata quaedam assequutus non sit, res tamen quae facile intelligi, perspicique (ut est iter Petri romanum) possent, ignoravisse, ac secus atque contigerant memoriae tradidisse, quis credat?

Accedit auctoritas Dionysii antistitis Corinthiorum, qui Romanos a Petro accepisse disciplinam, Petrumque Romae (3) obiisse testatus est. Vixit autem saeculo christiani nominis secundo. Quo quidem saeculo Irenaeus (4) de Petri et mora, et martyrio in Urbe, quae a maioribus acceperat, litterarum mandavit monumentis.

His assentiuntur Clemens Alexandrinus vir incredibili eruditione (5), Caius romanae ecclesiae presbyter (6), Tertullianus (7), auctor carminum contra Marcionem (8), qui certe scriptores partim secundo ecclesiae saeculo, partim

(*a*) *Epist. ad Rom. n.* IV. *p. 205. edit. londin. tom.* I. *apostolic. pp. an. 1746.*

(*b*) Apud Eusebium *lib. eodem* II. *cap.* XV. *p. 59.*

ineunte tertio; Origenes (9), Cyprianus carthaginiensis episcopus (10), Firmilianus caesariensis (11), qui tertio; Arnobius, Lactantius (12), Athanasius (13), Eusebius (14), Iulius pontifex (15), synodi sardicensis patres (16), Damasus pontifex (17), Gregorius Nazianzenus (*a*), Ambrosius (18), qui quarto; Hieronymus (19), Chrysostomus (20), Augustinus (21), Orosius (*b*), Optatus Milevitanus (22), Theodoritus (23), Epiphanius (24), Paulinus (25), Petrus Chrysologus (26), qui extremo quarto, quintoque ineunte, innumerabilesque alii, qui sequentibus saeculis suis operibus ecclesiam illustraverunt; quorum sane multorum locos de Petri in urbem adventu (*c*) indicavi, cum de Petri eiusdem summo in christiana re publica principatu dissererem. Quum autem omnes non modo sexti, septimi, octavi, atque insequentium, sed quinque etiam priorum ecclesiae saeculorum Patres, coetusque omnes, qui christiano nomine gloriantur, et latinorum, et graecorum, et barbarorum, sive doctrinae societate coniuncti nobiscum, sive a sa-

(*a*) Iamb. I. *de praesidio adv. invidos pag. 188. tom.* II. *edit. colon. an. 1690.*

Ῥώμη δὲ Παῦλος, καὶ Πέτρος νικηφόρει.

Romae autem Paulus, ac Petrus ferentes victoriam.

(*b*) *Lib.* VII. *histor. cap.* VI. *pag. 466. edit. Haverc. an. 1738.*

(*c*) Confer *tom.* V. *Origin. et antiquit. ed. Rom. an. 1850, pag. 112. seqq. et 337. seqq.*

cris, institutisque nostris abhorrentes (27), odioque in Romanos incensi sint, facile romanum iter Petri confiteantur; nemoque umquam aut prima aetate, aut posterioribus temporibus ad quartum ac decimum saeculum inventus fuerit qui negandum arbitraretur; cumque ii, qui post decimum, ac quartum saeculum illud ipsum in controversiam revocaverunt, non veritatis amore permoti, sed malevolentia in Sedem apostolicam incitati ad scribendum fuerint, inque reprehensionem proinde inciderint sociorum superstitionis, et erroris sui; quis tam erit audax atque impudens, qui summa et veterum, et novorum scriptorum, universarumque ecclesiarum consensione contemta, novis quibusdam, iisque et paucis, et inimicis pontificum romanorum auctoritatem adiungendam putet? Quae vero ars critica feret, ut in historia non testibus aut aequalibus, aut fere aequalibus temporum illorum, non historicis, qui non multo post iter a principe apostolorum susceptum scripserunt, non viris qui nullo studio partium ducerentur, non omnium ecclesiarum incredibili consensu, temporisque diuturnitate firmatae sententiae; sed inanibus coniecturis, quae fere uno silentio veterum quorundam nitantur, sed novis aliquot sycophantis, sed invidis nonnullis, impotentique ingenio praeditis hostibus apostolicae Sedis assentiatur? Atque novos haereticos, qui (28) plus ceteris eruditione, doctrinae laude, criticaeque facultatis peritia

excelluerint, romanum concessisse apostolorum principis iter, tam certum, tamque exploratum est, ut qui dubitet, haud sciam, cur non idem, sit ne sol, an nullus sit, dubitandum putet.

At enim adversarii multis se tam inveteratam, tamque late patentem repellere sententiam putant posse. Principio namque ostendi sibi sacrorum bibliorum auctoritate, non testimoniis veterum christianorum volunt, Babylonis nomine, cuius est a Petro in priore epistola facta mentio, non Babylonem, sed Romam intelligi oportere. Secundo loco, nihil se eorum dictis moveri dicunt, qui a Papia viro in primis inepto, rerumque christianarum imperito acceperint, quae de itinere Petri romano tradiderunt. Accepisse autem a Papia veteres illos, quorum meminimus, veri esse maxime simile. Tertio, id se iter in rebus veris numeraturos vehementer negant, de quo Claudii ne, an Neronis aetate contigerit, magna veterum, novorumque historicorum dissensione certetur. Eiusmodi autem iter Apostoli romanum esse. Quod enim Eusebius in annum Claudii secundum, id alios in Neronis tempora coniiciendum putare. Sanum autem hominem, atque prudentem, qui cum statuat rem aliquam evenisse, tum indicare annum, quo contigerit, nequeat, inveniri posse omnino nullum. Quarto, incredibile esse, si Petrus Romam venisset, id Lucam, ac Paulum, qui in urbe aliquandiu constitissent, fuisse praetermissuros. Lucam autem

in actis Apostolorum, Paulum vero in iis, quas Romae scripsit, epistolis nullam umquam commemorationem fecisse aut laborum Romae susceptorum, aut adventus in Urbem Petri.

Sed qui sic disputant, non animadvertunt fore, ut (si ea Apostolorum temporibus contigisse negent, quae aut ab Luca, aut a Paulo, aut ab Iohanne praetermissa sint) res in primis certas, atque testatas repellere cogantur. Quis enim christianos una cum Iudaeis, quibuscum de religione contendebant, Roma a Claudio Augusto pulsos, saevitumque anno LXIV. in nostros ab Nerone fuisse, negaverit? At huiusmodi rerum nullum umquam scriptorum sacrorum meminisse constat. Quod si Svetonio (29), atque Tacito (*a*), qui haec litterarum mandarunt monumentis, credunt, quid est quod Clementi auditori Petri, quod Ignatio discipulo Apostolorum, quod Irenaeo, qui a Polycarpo accepit disciplinam, quod Papiae Iohannis aequali fidem habendam inficientur, Petrum et venisse Romam, et ibi decessisse scribentibus? An ethnicis, quos rerum fuisse christianarum ignaros liquet, plus est adiungendum auctoritatis, quam christianis, quorum etsi minus acutis ingeniis fuisse aliquos facile concedam, quae gesta tamen a nostris fuissent, aut ignorasse, aut mendaciis involvere voluisse, num-

(*a*) *Lib.* XV. *annal. pag.* 528. *ad an.* DCCCXVII. *C. Lecanio, et M. Licinio Coss. edit. antuerp. an.* 1574.

quam concedam? Traditum autem ab Eusebio in historia est, si minus Papiam, atque Clementem Alexandrinum, at veteres saltem christianos *(tenuisse)*, a Petro Romam fuisse indicatam Babylonis (30) nomine. Quae vero caussa est, cur silentio scriptorum sacrorum, non Svetonii, neque Taciti, sed horum sit christianorum omnis contemnenda narratio? Equidem dum mecum haec cogito, in eam facile sententiam inducor, ut arbitrer, partium illos studio metiri omnia, non veritatis, qui nisi quod placeat, nihil verum putant. Quod si adversarii rerum, temporisque, quibus Petrus scripsit, rationem habendam existimassent, facile quidem certe intellexissent, Babylonis vocabulo, praeter Romam, urbem tunc nullam indicari ab Apostolo aliam potuisse. Ac Romam quidem Babylonem ab Iohanne fuisse in Apocalypsi appellatam, ostensum paullo ante est. Quare nil impedit, quominus Babylon a Petro etiam vocari Roma potuerit. At potuisse ne adversarii quidem negant. Recte sane. Igitur si vocatam negant, quaero, quae illa sit Babylon, cuius est ab Coryphaeo Apostolorum facta mentio? Nam Babylonas ab antiquis geographis nominari video omnino duas. Harum altera in Chaldaea, altera in Aegypto erat. Neutram autem harum Petrus nominat. Nam quod Ludovicus Capellus (*a*) Hie-

(*a*) *Histor. apostolic. ut est tom.* VIII. *critic. sacror. pag. 515. edit. Amstelod.*

rosolymorum urbem Babylonem, Millius (31) contra mulierem nescio quam συνεκλετὴν fuisse a Petro appellatam statuunt, inane atque absurdum est (*a*). Atque Aegyptia (32) quidem Babylon exiguum ea aetate oppidum erat, vix proximarum regionum, dissitarum (33) autem, ut Ponti, Galatiae, Cappadociae, Bithyniae, Asiae incolis, ad quos prior est a Petro scripta epistola, ne vix quidem notum; in eo ullus ne tunc Iudaeus, aut christianus fuerit, traditum a nemine veterum fuisse (*b*) video. Quid? si nullus umquam maiorum fuit, qui Petrum, non dico in id oppidum, sed in Aegyptum contendisse ferret? Quis autem tam est impotenti ingenio, qui in historia, quod ne fando quidem auditum sit, credendum, reiiciendumque contra quod a gravissimis scriptoribus fuerit monumentis (*c*) commendatum putet? Age vero cum multae urbes, eaeque iam satis

(*a*) De Hierosolymis agam paullo post.

(*b*) Christophorus Harembergius *dissert. de miraculo pentecostali* §. IX. *part.* II. *p. 582. thesauri novi theologico philologici etc.*, editi ex museo Theodori Hasaei, et *Conrad. Ikeni, Leidae, et Amstelod. an. 1732.*, et Foggin. *ibid.*

(*c*) Confer (praeter Eusebium *loc. indic*) Hieronymum *de vir. illustr. cap.* I. *pag. 101. tom.* IV. *opp. part.* II. *edit. Martian. paris.*, s. Iohannis Chrysostomi locum, ut ex catena vetere a Fogginio refertur, *ibid. p. 190.*; habet enim hoc modo: Βαβυλῶνα οὖν τροπικώτερον τὴν Ῥώμην ὀνομάζει· συνεκλεκτὴν δὲ τὴν ἐν αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ συστᾶσαν Χριστοῦ ἐκκλησίαν. *Babylonem igitur tropice Romam nominat: coelectam autem ecclesiam Christi in ipsa consistentem Roma.*

magnae in Aegypto reperirentur, in quibus nostri augere numerum christianorum, amplificareque christianae rei publicae opes potuissent; qui demum credibile fuerit, Petrum caeteras praetergressum in castellum munitum Babylona (*a*) constituturum Ecclesiam contendisse, ubi praeter legionarios milites, vix quisquam incolarum esset? Denique si Petrus Babylonem Aegypti venit, cur id nemo umquam fuit Aegyptiorum, qui scriberet? Nam Aegyptii a Marco se accepisse disciplinam fatentur; a Petro non item. Ac Petrus si hanc indicasset, monuisset certe Asianos, Galatas, Cappadoces etc. ad quos scribebat, de Aegypti se Babylone agere, ne decepti eum in Chaldaea cum Marco una versari arbitrarentur (34).

Etsi vero Chaldaeorum Babylon multo illustrior (35), maioreque in celebritate erat, tamen eversa iam ante, ab incolisque deserta fuerat, quam Petrus priorem epistolam scripsisset. Apostoli autem in urbes frequentia civium illustres, propagandi nominis christiani caussa, sese, non in vicos atque deserta oppida conferebant.

Qui vero provinciam Babyloniorum a Petro fuisse nominatam censent (36), non minus turpiter labuntur. Petrus enim Ecclesiae meminit coactae in Babylone, non in Babyloniam provinciam dispersae. Babylon autem non provinciae

(*a*) Strabo *lib.* VII. *p. 807. edit. Paris. an. 1620.*

fuit, sed urbis nomen. Atque ostendant ii, qui silentium nobis opponunt sacrorum bibliorum, quis umquam scriptor sacer adventus Petri in Aegyptum, aut in Chaldaeorum regionem meminerit? At ostendere nullum non sacrum modo, sed ne veterem quidem historiarum scriptorem possunt.

Qua igitur confidentia aut in Aegyptum pervenisse Petrum, aut transmisso Euphrate babyloniam provinciam peragrasse, dicent, quod a nemine est veterum memoriae traditum; negabunt autem contra fidem veterum, gravissimorumque historicorum, Romam, quae Babylonis nomine indicata ab Iohanne est, fuisse item a Petro appellatam Babylonem in priore epistola? At enim cur Babylonem vocavit, quam appellare in epistola Petrus potuisset Romam? Quasi vero caussae omnes, quae veteres impulerunt, ut hoc potius, quam alio modo scriberent, compertae nobis esse omnes, atque exploratae possint. Atque ex iis, qui sic percontantur, quaero, cur Ignatius leopardos in epistola ad Romanos dixerit, quos dicere milites potuisset (*a*)? Exempla huiusmodi ex epistolis Pauli permulta in promptu essent. Sed non est opus ut proferam.

De muliere, quae coelecta, ut aliqui somniarunt, nominaretur, nihil attinet dicere. Est enim

(*a*) S. Ignatius *epist. ad Rom. n.* v. *pag. 204. tom.* II. *opp. edit. Londin. an. 1746.*

haec eorum non nugatoria modo, sed etiam absurda sententia (37). Nam etsi in plerisque fere omnibus graecis exemplaribus voci *coelecta* addita vox *ecclesia* non legatur, tamen addita in latinis, in syriacis, in ceteris denique orientalibus est: ut qui *coelectam* uxorem fuisse Petri, aut aliam quampiam mulierem arbitrantur, per summam iniuriam communi omnium ecclesiarum, quae libris sacris etiam contineatur, sententiae suspiciones anteponant suas. Atque in graecis fere omnibus dixi, propterea quod in exemplari, quo Oecumenius utebatur, sic erat: ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι ἐκκλησία συνεκλεκτή.

Quod si explicatum ab Irenaeo, a Tertulliano, ac si placet etiam a Papia non est, quam Petrus urbem Babylonis nomine indicarit: tamen illi, cum Marcum Petri eiusdem auditorem fuisse, Romaeque una cum eo versatum dixerint; Petrum, qui Marci, cum de Babylone loquutus esset, meminerit, Babylonis vocabulo Romam potius, quam (38) aliam quamque urbem indicasse, confessi sunt. Quamobrem miror Harduinum, qui magnopere auctoritate romanae ecclesiae moveri se diceret, ita fuisse animo institutum, ut Capellum sequutus, contra omnium Patrum summam in asserendo itinere romano Petri consensionem, Petrum neque solum (39), neque cum Marco Romam venisse defenderet, idque decus metropoli universi orbis tollendum arbitraretur, quo sublato, successio primatus vix in pontifici-

bus romanis, episcopatus autem ne vix quidem potest consistere. Nam maiores nostri eam ob caussam romanos pontifices principatu in christiana re publica summo potiri affirmarunt, quod Petrus caput, princepsque apostolorum romanae ecclesiae, quam condiderat, instituerat, auxerat, praefuisset (*a*). Ac si traditione maiorum, pontificum praecipua auctoritas nititur, hac confidenter eversa, quid erit reliqui, quo demonstrari ecclesiae romanae principatus posse videatur?

At is Petrum Romae decessisse negat, venisse autem Romam non negat. Fundatam namque ab eo apostolo romanam ecclesiam fuisse, ait initio commentariorum in epistolam priorem Petri (*b*). Ego vero quorsum haec spectent, quoque sint modo cum iis, quae Harduinus in commentariis in evangelium Matthaei (*c*) dixerat, componenda, nullo modo prorsus intelligo. Nam hoc loco, necesse non esse, scribit, Petrum Romam venisse. Summum enim pontificem non esse *proprie* Episcopum Romanum. Quare dubitat venerit ne Romam Princeps Apostolorum, an non venerit. Quamquam propensior esse videatur ad eorum errorem, qui negant venisse. Itaque Episcopatu Romano Pontificem multandum statuit. Quod non fecisset, si venisse Petrum, Romanamque Ecclesiam per

(*a*) Quod paullo post videbimus.

(*b*) *Ad v. I. pag. 690. commentar. in nov. test. edit. amstel. an. 1741.*

(*c*) Vide *notationem n. 39.*

se ipsum constituisse veri esse similius iudicasset. Quamobrem restat, ut vel minus explicate exposuerit, quae sentiret, vel consulto rem implicare conatus sit, vel delectum fuisse a Christo Petrum existimarit, qui opera non sua Ecclesiam in principe orbis romani urbe conderet, vel mutandam sententiam iudicarit, ne quod veri esse similius ante putaverat, post vix cuiquam probari posse arbitraretur. Sed patiar, nihil fuisse constitutum ab Harduino, quod pugnet cum itinere romano Petri. Quid? de mortuo Hierosolymis Petro quod dicit, id, cum contra veterum omnium scriptorum, discipulorumque ipsorum Petri (*a*) fidem dicat, quisquam ne erit orthodoxorum, qui ferendum credat? Atqui, inquit, Christus praedixerat, fore ut Petrus Hierosolymis interiret. Namque apud Iohannem capite primo ac vicesimo Evangelii, Petrum esse cruci affigendum demonstrarat. Capite autem tertio ac vicesimo Evangelii Matthaei, dixerat se ad Iudaeos missurum prophetas, sapientes, ac scribas, quos ipsi essent affixuri cruci. Praeter Petrum vero, dum Hierosolyma constiterunt, cruci fuisse affixum christianorum omnino neminem. Petrum igitur Hierosolymis decessisse. Non est multis opus, ut quam sit hoc argumentum inane, pateat.

(*a*) Vide Clementis Romani, Dionysii Corinthii, Caii, Tertulliani, Origenis, aliorumque, quos paullo ante indicavi, Patrum locos. Consule praeterea Cyrillum Hierosolymitanum *catech.* VI. *p. 53. sq. edit. paris. an. 1640.*

Quis enim auctor Harduino fuit, ut praeter Petrum neminem fuisse Christi discipulorum cruci affixum, idque Hierosolymis, iudicaret? Cum autem concitatae ab Iudaeis tam saepe in christianos tempestates fuerint, credibile ne est, nullum fuisse nostrum, cum plerique omnes quaererentur ad necem, ab eisdem affixum cruci? Deinde suorum aliquos cruci ab Iudaeis affigendos Christus dixit, Hierosolymis vero in crucem agendos non dixit. « Ecce (*a*), *inquit,* ego ad vos (mitto) » prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis » occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis » in synagogis vestris, et persequimini de civi- » tate in civitatem. » Iudaeorum igitur caussa eos, quos mittere decrerat, occidendos, et cruci affigendos, et de civitate in civitatem ad supplicia quaerendos, praenunciat, nulla facta mentione Hierosolymorum. Iudaeorum autem caussa tot in christianos ortas tempestates fuisse (40), quae necem demum Apostolis, Petroque ipsi attulerint, traditum ab antiquis Ecclesiae scriptoribus est, quibus vehementer assentior. Atque ut Christus ostenderet, se, quod de affigendis suis discipulis cruci dixerat, non dixisse, quo Hierosolymis id futurum vellet; versu septimo ac tricesimo conversa ad eam urbem oratione loquutus sic est: *Hierusalem, Hierusalem,* inquit, *quae* (*b*) *occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi*

(*a*) Matth. *cap.* XXIII. *v. 34.*
(*b*) Matth. *cap.* XXIII. *v 37.*

sunt. Si enim, quod de cruci affigendis affirmarat, Hierosolymis futurum praedixisset, cur Hierusalem alloquens, *occidendorum, lapidandorumque* meminit; *cruci* vero *affigendorum* non item? Itaque Hieronymus etsi de Petro, quod est a Christo de *crucifigendis* dictum, intelligit, Petrum tamen Hierosolymis obiisse vehementer negat (*a*). Sed Harduini mirari satis rationem non queo, qui Patres pugnare inter se scribit, cum Petrum Romae fuisse martyrio perfunctum narrant. Non enim de loco, deque martyrii genere orta umquam est inter maiores nostros, sed de tempore solum dissensio. Quod si obstat id quidem, quominus martyrium obierit Petrus Romae, vereor ne adduci eo Harduinus disputando possit, ut Hierosolymis cruci affixum fuisse Christum inficietur, quod anni, quo id contigit, neque Evangelistae, neque ita Patres meminerint, ut concors eorum esset, constansque in eo stabiliendo sententia.

Quod Spanhemius (*b*), eiusque similes mentiuntur, a Papia accepisse veteres, quae de itinere

(*a*) Hieronymus, in *Matth. cap.* XXIII. *pag. 112. tom.* IV. *opp. edition. Martian. paris. part.* I., Petri martyrium commemoravit, quasi praedictum a Christo *ibid.* fuerit. At Petrum Romae fuisse affixum cruci capite deorsum verso, idem est auctor Hieronymus cum alibi saepe, tum *cap.* I. *libri de viris illustribus, seu de scriptor. eccles. cap.* I. *p. 101. tom. eod.* IV. *p.* II.

(*b*) *Dissertat. de temere credit. Petri in urbem Romam profectione, c.* I. *pag. 5., et c.* III. *pag. 75. edit. lugd. batavor. an. 1679.*

S. Petri romano scripserunt, falsum est: Clementem enim Petri auditorem (41), virum et antiquiorem Papia, et multo etiam doctiorem, Ignatiumque (42), quem cum Petro ipso, et Iohanne egisse ferunt, a Papia, qui Apostolos non viderat, fuisse, quae de magistro litteris commendarunt, mutuatos, quis credat? Rursum si a Papia accepit Irenaeus, non a Polycarpo Iohannis discipulo, quo usus perinde institutore fuerat, cur aliis in locis Papiam, cum eius aliis de rebus dicta usurparet, nominavit, de Petri vero adventu disserens, nullo modo? Alexandrinum autem Clementem, qui Clementis romani epistolam ad Corinthios legerat, non hunc, sed Papiam fuisse sequutum, persuaderi mihi, si minus demonstratione, quam vocant, at opinione saltem vellem. Nam Caium, qui monumenta commemorat Apostolorum, quae sua aetate extabant Romae, quis putet Papiam habuisse suae sententiae auctorem? Nihil de Dionysio Corinthiorum Episcopo dico. Hunc enim libros Papiae vidisse nescio; vidisse autem epistolam Clementis certo scio. Neque vero is, quae ab exteris acceperat, sed quae traditione Ecclesiae, cui praefectus erat, didicerat, ad Soterem scripsit. Mitto recentiores. Hi namque cum Papiam negligerent (*a*), quaè de Petri adventu, deque illius

(*a*) Nempe Eusebius *lib.* III. *hist. eccl. cap.* XXXIX. *pag. 119. edit. an. 1746.*, Hieronymus *t.* IV. *opp. edit. Martian. part.* II. *lib. de vir. illustr. c.* XVIII. *p. 109.* aliique Papiam *simplicem* virum, minusque acutum fuisse memoriae tradiderunt.

martyrio, et episcopatu romano tradiderunt, ea non ex Papiae, sed ex aliorum scriptis, quos plurimi pendere solerent, in sua transtulerint opera necesse est.

Argumento autem chronologico, quo adversarii abuti consueverunt, nihil fingi potest obtusius. Concedam enim definiri vix, immo vero ne vix quidem posse, Claudio ne, an Nerone imperatore Petrus Romam pervenerit. Quid? An concludendum continuo est, eum numquam venisse Romam? Hoc si Spanhemius, si Salmasius, si Turretinus concludant, fateantur necesse est, nihil Marcionem contra religionem orthodoxam ausum fuisse Romae, nihil ab Athenagora umquam pro christianis scriptum, nihil ab Herode in infantes Bethlehemitas crudeliter imperatum, nihil denique a Christo praedicatum in Palaestina, propterea quod his de rebus, quo tempore aut coeperint, aut evenerint, magna chronologorum dissensione certetur, aliis quidem ocius, aliis paullo tardius contigisse pugnantibus. Quid? si concludendum sit, numquam Athanasium decessisse, Christumque ipsum servatorem non fuisse affixum cruci, propterea quod de tempore, quo ille decessit, deque anno, mense, ac die, quo Christus actus in crucem est, magna sit inter chronologos veteres, novosque contentio? Age vero cum historici veteres, Claudio imperatore, Petrum Romam primum advenisse scripserint, quae demum caussa est, quamobrem negandum

id esse videatur? Perspicua autem in hoc genere est non Hieronymi (*a*) solum, sed etiam Eusebii (*b*) gravissimi certe, diligentissimique scriptoris sententia. Iustinus (*c*) autem martyr, qui altero Ecclesiae saeculo ineunte floruit, atque alii porro nonnulli Patres, qui Simonem magum, cum Claudius imperio potiretur, Romam navigasse ferunt, qui tandem componi cum Clemente Alexandrino (*d*), cumque aliis poterunt, qui Petrum coercendi, reprimendique Simonis caussa, in urbem eandem fuisse profectum scribunt, nisi Petrum id iter fuisse Claudio imperatore adgressum confiteamur?

At Lactantius tum primum Petrum advenisse Romam scribit, cum iam Nero imperium obtineret. Quis hic est, rogo, Lactantius (*e*)? Nam adversarii iure nescio quo suo, quasi certum sumunt quod aut falsum omnino est, aut dubium. Etsi enim Balutius, Cuperus, Dufresnius, aliique (*f*) Lactantium eundem esse atque auctorem

(*a*) *Lib. de scriptoribus eccles. cap.* I. *pag. 101. tom.* IV. *part.* II. *edit. paris. Martianaei.*

(*b*) *Lib.* II. *cap.* XIV. *p. 58. edit. taurin. an. 1746.* Et in chronico *ad an.* II. *Claudii p. 44. edit. amstel. 1658.*

(*c*) *Apologia* I. *n.* XXVI. *pag. 60. edit. venetae an. 1747.*

(*d*) Apud Eusebium *lib.* II. *hist. eccl. cap.* XV. *pag. 59. seq. edit. taurin.*

(*e*) Lucius Caecilius *de mortibus persecutor.* II. *p. 184. tom.* II. *opp. Lactantii edit. paris. an. 1748.*

(*f*) In notis ad eumdem locum Caecilii, ut videre eodem *tom. opp. Lactantii* licet.

libri de mortibus persecutorum censent; negat tamen Nicolaus Nourrius, a quo, nulla est gravis caussa, quamobrem esse pugnaciter dissidendum putem. Sed fac is auctor idem atque Lactantius sit: ubinam *tum primum,* cum Nero imperio potiretur, Petrum advenisse Romam scripsit? Atque is, cum *Nero imperaret* Petrum venisse narrat: *tum* vero *primum venisse,* non item. Quae igitur haec tam perversa ratio adversarios impulit, ut rebus falsis, quae recte constituta sunt, convellere conarentur? An non satius fuisset Lactantium, seu potius Lucium Caecilium (nam auctori libri de mortibus persecutorum id nomen erat) cum ceteris scriptoribus antiquis componere, statuereque Petrum sub Claudio primum venisse in Urbem, inde autem discessisse, reversumque rursum eodem fuisse, cum summam rerum obtineret Nero? Atque de hoc secundo itinere Lactantium agere putandum est, cum primum iter Petri ad illius scriptoris institutum minime pertineret, qui eorum imperatorum mentionem facere decrevisset, qui crudeliter in christianos saevierant. Sed concedam Caecilium, qui idem atque Lactantius sit, de primo adventu Petri loqui; nam hoc item liberaliter adversariis permitti poterit. Quid? huiusne unius auctoritatem illi tot scriptorum, tamque illustrium, ut Eusebii, ut Hieronymi, ut Leonis (43), ut aliorum auctoritati anteponendam defendent? Lactantium enim in historia christianorum diligenter fuisse versatum

nescimus; eos autem, quos nominavi, et diu fuisse, et diligenter, summaque cum ecclesiae utilitate versatos scimus. Scilicet hoc adversarii faciunt (44), ut quum contra catholicos agant, multos sibi afferri testes, eosque aequales temporum illorum, de quibus est sermo, velint; ipsi vero cum novos afferant, repugnari sibi nullo modo velint (*a*). At enim feram id quoque. Vera, ut lubet, praedicarit Caecilius. Dandum ergo est venisse Petrum Romam. Nam hoc illi cum caeteris antiquis scriptoribus convenit. Quamquam cum equidem a veteribus primum institutorem ecclesiae Romanorum, primumque qui christianam religionem in Urbem intulerit, Petrum dici intelligam, atque non ex historicis modo, sed etiam ex libris sacris cognosci, perspicique facile posse videam, christianos Romae perplures imperante Claudio fuisse, iis auscultare malo, qui Petrum sub Claudio ipso advenisse Romam, quam uni Lactantio venisse aienti, cum imperio potiretur Nero.

Sed urget Spanhemius (*b*) fierique ullo modo

(*a*) Clamat enim Iohannes Fellus pseudo-episcopus Oxoniensis *praefat. in L. Caecilii lib. edit. oxon.* « Huius tra» ctatus interventu ab inveterato errore nos liberari de » S. Petri 25. annorum pontificatu. » Similia fere iactant Burnetius pseudo-antistes Sarisburiensis *praefat. in version. anglicam eiusdem libri*, Paulus Bandrius *in notis ad cap.* II. *libri de mortibus persecutor. pag. 554. edit. paris. an. 1648. tom.* II. *opp. Lactantii*, Dodwellus *loco indic.*, Caveus *loco indic.* aliique.

(*b*) Spanhemius *cap.* II. *dissert. eiusd. num.* XIX. *pag. 50. edit. an. 1679.*

potuisse negat, ut, si concedantur, quae Actis Apostolorum, Paulique epistolis continentur, Petrus sese aut Claudio, aut Nerone imperium administrante Romam contulerit. Atque ex Apostolicis quidem Actis constare ait, quarto Claudii anno, qui aerae vulgaris quartus atque quadragesimus fuit, Petrum egisse in Palaestina, coniectumque ab Herode fuisse in carcerem. Nam Herodis Agrippae postremus annus, quartus Claudii annus fuit, ut visum Scaligero est; ut aliis quibusdam, tertius. Ante annum igitur quartum Hierosolymis Romam proficisci Petrum non potuisse. Eum enim, antequam contrusus in carcerem fuisset, in Palaestina constitisse. Rursus Petrum, tempore Synodi apostolicae, in Palaestina adhuc fuisse versatum. Habitam autem Synodum anno ab accessu Pauli ad sacra christianorum quarto ac decimo, qui annus aerae christianae tertius ac quinquagesimus fuerit, et tertius ac decimus Claudii necesse est. Quod si anno Claudii nono peracta Synodus Hierosolymitana est, ut visum Baronio fuit, concedendum tamen esse, contendisse inde Petrum Antiochiam, ibique aliquamdiu mansisse; quumque ante una cum Graecis ad religionem christianam conversis egisset, post metu eorum, qui Hierosolymis ab Iacobo venerant, compulsum (missis Graecis) ad Iudaeos illos, qui Christum item colebant, accessisse, redargutumque proinde fuisse a Paulo. Quamobrem in eam inductum fuisse Salmasium opinio-

nem, ut reprehensionem Petri in annum Claudii XII. reiiciendam arbitraretur. Septennium porro Antiochiae degisse Principem Apostolorum, functumque episcopatu fuisse; cumque cathedras occupare nequiret duas, Episcopum certe romanum ad annum LIX. vulgaris aerae minime fuisse, quo tempore imperio Nero iam usque ab annis IV. potiebatur. Quamobrem dum Claudius vixit, numquam Petrum advenisse Romam. Quid? si ne temporibus Neronis quidem, ut Salmasio placuit? Quamquam si venisset, perpaucis eum annis episcopatu romano fuisse potiturum. Nam (ut Eutychii, quem tanti Arabes, Guillelmus Tyrius illustris auctor, Valesius, Ecchellensis, Seldenus, Salmasius, Pocockius, Hottingerus faciunt, mentio praetermittatur, qui Clementem sequutus extremis Claudii temporibus Petrum decessisse indicat) ex Bucheriano catalogo intelligi, eundem Apostolum perfunctum martyrio fuisse primo imperii Neronis anno, hoc est LIV. christianorum aerae. Ac si superstes ad annum aerae christianae LX. vel LVI. fuit, ut ex vetustissimo Auctore, cuius extat scriptum in Arundeliana bibliotheca, cognosci potest, qui Iustino, atque Irenaeo assensus quinto post Petri obitum anno Paulum fuisse martyrio perfunctum testatur, haud certe diu illum perstitisse Romae. Martyrio namque Paulum fuisse perfunctum anno LXV. vulgaris aerae christianorum. Quin etiam ann. LVII. vel LVIII. hoc est Neronis IV. vel V. Petrum non fuisse

Romae, ex epistola Pauli ad Romanos constare. Quin etiam ne VII. quidem Neronis, hoc est an. LX. quo Paulus agebat in Urbe. At eo tempore eminere romana Ecclesia coeperat. Non ergo opus fuisse, ut tam longum post iter Petrus aggrederetur, cum praesertim Simon magus, cuius caussa a Petro id iter fuisse susceptum veteres tradiderunt, misere periisset.

Sed quam haec sint levia, demonstrabo brevi. Principio, quod quarto Claudii anno Petrus Hierosolymis fuerit, non sequitur contendere eum anno secundo nequivisse Romam. An est quisquam Historicorum, qui cum apud S. Bonaventuram, beatum Franciscum Ordinis Minorum Institutorem an. 1219. diebus Pentecostes Assisii, et apud archidiaconum Spalatensem (*a*) an. 1220. ante Augustum mensem Bononiae fuisse legat, continuo statuendum putet, eum anno 1219. et 1220. non in Palaestina, neque in Aegypto (45), sed in Italia fuisse versatum? Innumerabilia producere generis eiusdem ex vetere historia cum ethnica, tum ecclesiastica exempla licet. Sed eo uno contenti erimus, quo plane est consequens nihil obstitisse, quin, ut Franciscus, cui angustae opes essent, tam brevi tempore Palaestinam, Aegyptumque petere, atque in Italiam redire; ita Petrus proficisci e Palaestina anno secundo

(*a*) Confer Wadingum *annal. minor. tom.* II. *ad an. 1219. et 1220.*, qui et S. Bonaventurae, et archidiaconi, aliorumque testimonia hac de re aut describit, aut indicat.

Claudii, Romamque venire, atque reverti anno tertio rursum in Palaestinam potuerit. Itaque manebit Eusebii, Hieronymique sententia, Petrum anno Claudii II. Romam profectum aientium. Cur autem tam cito reverterit, ne suspicari quidem possum. Res enim a memoria nostra remotas, silentibus antiquis historicis, explicare velle, hominum est otio ac litteris abutentium. Interea hoc tenebo: Petrum, testibus Eusebio, atque Hieronymo, anno Claudii II. pervenisse Romam (46); anno autem III. reversum coniectum ab Herode in vincula fuisse, indeque Angeli subsidio ereptum, paulloque post Herodem ipsum Agrippam periisse. Id anno III. Claudii, ut visum Toinando (*a*), quarto autem, ut Spanhemio placuit (*b*), contigisse. Quare Petrum aliquot mensibus anni II. et anni III. Romae constitisse. Fac autem is XXII. februarii die in Urbem ingressus fuerit, ut ex Bucheriano calendario intelligitur, quid impedit, quominus ille ad ianuarium saltem anno tertio Romae constiterit, indeque solverit, secundaque usus tempestate in Palaestinam paullo ante Pascha appulerit, moxque comprehensus Agrippae iussu, inque vincula coniectus fuerit? At nemo huiusce reditus meminit. Quasi vero Eusebius adventus

(*a*) In notis in Lactantium, seu in Lucii Caecilii *librum de mortibus persecutorum c.* II. *pag. 397. tom.* II. *opp. Lactantii edit. an. 1746. paris.*

(*b*) Spanhem. *loc. indic.* Sequitur autem is Scaligerum, ut *ibid.* scribit.

Petri Romam anno secundo Claudii non meminerit, traditumque ab Luca non fuerit anno aut quarto aut tertio apostolum eumdem contrusum in carcerem Hierosolymis fuisse. Quemadmodum enim qui Romam an. II. venit, Hierosolymis an. III. aut IV. esse potuit, qui Hierosolymam non esset reversus? Sed permitto Spanhemio Petrum non venisse anno Claudii secundo Romam. Quid? an ne post quartum quidem ad tertium ac decimum Claudii (47), qui quinquagesimus ac tertius annus fuerit christianae aerae? Equidem quemadmodum, qui anno fere uno contendere Romam, revertique in Palaestinam potuit; proficisci e Palaestina, venire Romam, revertique rursum in Palaestinam novem annorum intervallo nequiverit, nullo modo prorsus intelligo. Ac adferre Spanhemius caussam debuerat, quamobrem putaret, Romam hoc tam longo spatio temporis petere nequivisse Petrum. Sed nullam attulit. Deinde illud item dabo, an. IX. (*a*) habitam fuisse synodum Hierosolymis, eique praefuisse Petrum. Verum a quarto ad nonum intercesserant anni omnino quinque. Itaque Petrus eo temporis spatio contendere in Urbem quiverat. Post synodum autem venisse principem apostolorum Antiochiam facile patior. Ab anno vero IX. ad annum XII. Claudii, imo vero ad Neronis tempora Antiochiae mansisse Petrum, ibique functum episcopatu fuisse, id sane est, quod mihi non inanibus verbis, sed

(*a*) Vide *notationem n. 47.*

veterum auctoritate ostendi volo. At quod attinet ad annum IX. Salmasius animadvertit; neque negat, quod est de septem annorum episcopatu, Panvinius. Ego vero Panvinium (a) non monumentis, sed coniecturis pugnantem, nihil moror. Multo minus Salmasium (48). Igitur non erat, cur nos Spanhemius derideret, quasi eodem tempore duas a Petro fuisse occupatas Sedes fateri cogamur. His constitutis, sequitur, ut evinci ab adversariis nequeat, ad Neronis usque tempora mansisse Petrum Antiochiae. Miror autem nominari a Spanhemio Eutychium (49) hominem et novum, et non historiae scriptorem, sed collectorem ineptiarum. Nam ab eo, qui Eusebium negligat, quisquam ne laudari Eutychium feret? At enim sunt, qui Eutychio plurimum tribuendum putent. Fateor, si de rebus, quae non multo ante illius aetatem contigerint, sermo sit; sin autem de iis, quae multo ante, ut est iter romanum, martyriumque Petri, numquam animum inducam ut fatear. Quod de Bucheriano calendario idem scribit Spanhemius, falsum est. Nerva (b) enim, et Vestino coss., hoc est an. LXV. aerae christianorum, qui XI., ut vero Pagius in critica scribit, XII. Neronis fuit, obiisse martyrem Petrum tradit, ut supra est demonstratum. Non me movet vetusti illius auctoris sententia, qui anno post martyrium Petri quinto, Paulum decessisse

(a) In *Platinam pag. 9. edit. an. 1572.*

(b) Vide *notationem n. 44.*

affirmat (*a*). Quis enim sit, ignoramus. Ego Dionysio Corinthio (50) assentior, qui utrumque apostolum eodem anno martyrem obiisse scribit. Ignoto enim, misso scriptore et noto, et vetere, nemo ex me ut assentiar extorquebit. Quod Petrus Neronis quarto, quinto, septimoque anno Roma abfuerit, non laboro. Modo octavo, aut nono, aut decimo, aut undecimo, duodecimoque fuerit. Non fuisse autem opus ut Romam post annum Neronis septimum reverteretur, id vero sibi quo iure adversarii sumant, nescio. Nam etsi celebritas tunc romanae ecclesiae magna erat, tamen Petro ecclesiam, quae ipsius caussa tantam consequuta fuisset celebritatem, invisere opus erat. Tametsi permultae rationes apostolorum principem, ut Romam peteret, impellere potuissent, quae ut ipsi perspectae erant, ita nos propter vetustatem praetereunt. Sed ne multa persequar, et operis brevitas, et festinatio ut de episcopatu Petri romano disseram, sunt impedimento. Hoc certum est: veterum testimonio principem apostolorum anno XI. atque XII. ac XIII. Neronis, qui ex Pagio anno LXVI. aerae vulgaris respondet, quamvis revera annus XII. Neronis aerae sit christianae LXVI. Romae fuisse, quo anno martyrio functus est. Id adversarii numquam refellere poterunt.

(*a*) Spanhemius *ibid. p. 56.* « Plane sic vetustissimus » auctor, quem ex Harundeliana bibliotheca profert Patri» cius, tradidit, ut ex Iustino et Irenaeo, Paulum ἐφ' ὅλοις » ἔτεσι πέντε *totis annis quinque* excepisse martyrio Petrum.»

Quod si perierat Simon magus sub Claudio, sunt autem, qui post periisse (51) putent, nihilo secius caussae esse multae Petro, ut dixi, Romam revertendi poterant. Harum fuit una episcopatus, quo suscepto, numquam summus apostolus commisisset, ut si facta ipsi redeundi potestas esset, alibi sibi esse perpetuo manendum iudicaret (*a*). Summa est, Petrum anno Claudii secundo, februario mense venisse Romam (52), idque non ex Eusebio, Hieronymo (*b*), Orosio (53), calendario Bucheriano (54), catalogis pontificum romanorum (55) sive antiquis, sive recentibus modo, sed etiam (*c*) ex Dionysio Corinthio, ex Irenaeo (56), ex vetustissimo auctore praedicationum (*d*) Petri, ex Papia (*e*), ex Clemente alexandrino (*f*), ex Ter-

(*a*) Tillemont. *ibid. et art.* XXXIII. *pag. 75.*

(*b*) Cf. Eusebii et Hieronymi testimonia indicata *p. 136.*

(*c*) Vide *notationem n. 50.* Is autem ut Corinthiam, ita Romanam ecclesiam *fundatam* ab apostolis scribit. Fundata autem a Paulo non est, qui christianos invenit Romae. Itaque a Petro fundata fuerit necesse est.

(*d*) Haud post longe initium 2. saeculi scriptum Pearsonius putat *κήρυγμα τοῦ Πέτρου praedicationem Petri,* qua usus interdum Clemens Alexandrinus fuit *l.* V. *Stromateon.* Pears. *diss.* I. *cap.* VIII. *pag. 34. de success. primor. rom. episcopor.* Eius *praedicationis* locum indicat Lactantius *lib.* IV. *cap.* XXI. *institut. edit. paris. pag. 332. tom.* I. *opp.* « Sed et » futura aperuit iis omnia, *inquit,* quae Petrus, et Paulus » Romae praedicaverunt, et ea praedicatio in memoriam » scripta permansit etc. »

(*e*) Apud Eusebium *lib. 2. hist. eccl. cap. 15.*

(*f*) *In 4. Institution.* apud Euseb. *loc. cit.*

tulliano (57), Origene (*a*), Cypriano, aliisque (*b*) intelligi, qui in Urbem primum doctrinam evangelii a Petro illatam tradiderunt. Nam eos, qui aut ab Andronico, et Iunia (58), aut ab Urbano Pauli adiutore (*c*), aut a Barnaba (*d*) primum inlatam putant, cum nullis idoneis testibus uti soleant, nihil moror.

Neque me Tertulliani (59) locus movet, quem

(*a*) Vide *notationem n. 9.*

(*b*) *Confer Sulpicium Severum lib.* II. *hist. pag. 158. edit. an. 1754.* Cum autem ii ant episcopnm romannm fnisse Petrum, aut ab eo institutam ecclesiam romanam tradant, satis ostendnnt, ante Petrum, qui Romae apostoli mnnere fnngeretnr, extitisse neminem. Summam antem hac de re gravissimornm virornm consensionem prudens quisque coniecturis anteponet Spanhemii scriptoris et novi sane, et in Sedem romanam male animati.

(*c*) Urbanum Paulns *in epist. ad Rom. cap.* XVI. *v. 9.* *συνεργόν cooperantem* suum vocat, sed quo primum tempore Urbanus idem sese in Urbem contulerit nusquam indicat. Vide Fogginium *ibid. pag. 89.*

(*d*) Fabulator ille *recognitionum Petri* scriptor *lib.* I. *num.* VII. *tom.* I. *apostolicorum patrum edit. Amstelod. an. 1724. p. 494.* pseudo-Dorotheus in synopsi *tom.* III. *biblioth. patr. pag. 427. edit. Lugd.*, et pseudo-Hippolytus *de discip. Christi pag. 41. tom.* I. *opp. edit. 1716.*, Barnabam aut Mediolanensibus christianam religionem aut Romanis explicasse, primnmque fortasse eorum fuisse videntnr dicere. Ego vero antequam Petrns Cornelium ad sacra perduxisset christianornm, quemqnam fuisse discipulorum Christi, qui ethnicis decreta nostra, mysteriaque exponeret, non modo non concedere, sed ne snspicari qnidem possnm. Adeundns Fogginins *ibid. pag. 98. seq.*

contorquet Basnagius (60), ut efficiat christianos iam usque a Tiberii temporibus floruisse Romae. Nam Tertullianus cautum a Tiberio fuisse scribit, ne quis christianos ob religionem vexare auderet; christianos autem Romae ullos fuisse, Tiberio Imperatore, numquam scribit (61).

Extremum est argumentum adversariorum e silentio Lucae, ac Pauli conclusum. Huic autem tantam vim inesse Spanhemius clamitat (*a*), ut (mirare hominis acumen) non *negativum,* sed *positivum* esse arbitretur. Est vero huiusmodi. Quod Lucae memorandum omnino erat, si evenisset, id Lucas silentio non praeterisset. Memorandum autem Lucae omnino erat romanum, si susceptum a Petro fuisset, iter; sive finem constituendi caput christianae reipublicae; sive peragratarum ante Syriae, Cappadociae, Galatiae, Ponti, Bithyniae, Graeciae, Illyrici, Siciliae rationem; sive res gestas, ut gentes ad christianam religionem adductas, ut provincias salutatas, ut collectas ecclesias, ut patriarchatus institutos, spectes. Igitur cum eius itineris nulla fuerit ab Luca facta mentio, susceptum id iter numquam a Petro fuisse credendum est. Quid? si illius commemorandi occasio Lucae non defuit? Quum enim Simonem in Samaria a Petro acriter reprehensum; quum apostoli eiusdem profectiones Lyddam, Ioppem, Caesaream etc.; quum res Antio-

(*a*) Spanhemius *dissert. ead. cap.* II. *n.* III. *pag. 23. sq.*

chiae a viris primo Cypriis, et Cyrenaeis, tum a Paulo, et Barnaba perfectas; quum in vincula principem apostolorum coniectum; quum illius in Hierosolymitana synodo dicta; quum appellatum a Paulo ad Caesarem; quum huic Romam advenienti obviam processisse fratres, narraret, nonne nactus erat itineris illius commemorandi opportunitatem? Aut enim aderat Petrus, cum Paulus advenit Romam, aut aberat. Si aderat, nominandus ipse; si aberat, caussa, cur abesset, indicanda erat. Adiungit mox Spanhemius, errare vehementer eos, qui *negans* id esse argumentum censent, si Lucas rem tantam praeterire neque debuerit, neque potuerit. Quamquam ne contemnendum quidem esse arbitretur, tametsi *negans* habeatur. Eusebium enim *negante* argumento niti, quoties apocrypha respuit. Id ipsum Baronium, Allatiumque de Marcellino pontifice, deque Iohanna papissa disputantes facere.

Pergit Spanhemius, ac, si potuit, inquit, Lucas; Paulus certe ad Romanos scribens iter Petri tacere, si susceptum fuisset, non potuit. Datam enim epistolam ad Romanos a quibusdam dici anno octavo et quinquagesimo, qui secundus Neronis fuerit. Id sibi minime probari, quod vix ante VII. Neronis annum scriptam arbitretur. Petrum autem non fuisse Romae, cum Paulus scriberet. Eum namque, ut ceteros, salutasset, si Romae eo tempore versatus esset. Quin etiam ne ante quidem in Urbe Petrum fuisse. Paulum enim,

qui eos commemoret, quorum opera propagata in Urbe religio fuerat, fuisse item Petrum commemoraturum. Id cum non fecerit, argumento, et quidem satis magno esse, Petrum numquam ante vidisse Urbem. Iam vero Doctorem gentium, qui iis ecclesiis, quas apostolorum aliquis instituerat, superaedificare quidpiam nolle se iisdem in litteris ad Romanos dicit, venturum nunciandae religionis caussa Romam, si huc Petrus se contulisset, incredibile videri. Deinde Petrum apostolum fuisse Iudaeorum, quamobrem in Urbem venire non debuisse, in qua perpauci ex ea gente homines versabantur. Romanam autem ecclesiam ex ethnicis potissimum coaluisse, qui ad christianam rempublicam se aggregaverant. Denique in epistolis omnibus, quas Paulus Romae scripserit, ut in iis, quae sunt ad Philippenses, ad Colossenses, ad Ephesios, ad Philemonem, ad Hebraeos, ad Timotheum II., nullam fieri Petri mentionem, cum tamen Clementis, Lucae, Timothei, Marci, Aristarchi, Demae, Epaphrae fiat. In epistola autem ad Colossenses Aristarchum ab eo, Marcum, Iesum, suos ex *circumcisione* συνεργοὺς *laboris socios* nominari. Queri praeterea Paulum in posteriore ad Timotheum epistola, sese ab omnibus esse desertum. Haec vero eo spectare, ut efficiant, Petrum, cum haec Paulus scriberet, aut non fuisse Romae, aut si fuit, esse vel perfidiae, vel ignaviae accusandum.

Ego vero memorandum omnino Lucae iter

Petri romanum fuisse vehementer nego. Non enim committam, ut quod praetermissum est, id fuisse ab illo aut oscitantia, aut errore praetermissum vel credam, vel suspicer. Atque historicum sane, qui ea solum sibi ad scribendum proposuisset, quae a Petro gesta in Iudaea, proximisque provinciis fuerant, silentio ea premere potuisse, quae essent a Petro ipso in reliqua Syria (62), inque aliis regionibus perfecta, tam est perspicuum, ut ne oratione quidem egere videatur. Quamobrem etsi Petrum Antiochiam descendisse, reprehensumque fuisse, propterea quod dimissis christianis e gentibus, ad Hierosolymitas Iudaeos metus caussa accessisset, Paulus narret (*a*), id tamen tacitus praetermisit Lucas, quod ad suum institutum non pertineret. Rursum Pontum, Galatiam, Cappadociam peragrasse Petrum, quamquam est ab antiquis (63) scriptoribus traditum, omissum nihilominus ab Luca est. Quod si neganda sunt, quae silentio praetermissa a scriptoribus antiquis cum fuerint, tum memorari debuisse videantur; vereor ne futuri aliquando sint, qui res certas, atque testatas non modo revocent in controversiam, sed etiam confidenter negent. Atque vocabitur fortasse in periculum Matthaei (*b*) fides, qui Herodis iussu infantes Bethlehemitas fuisse propter Christum interemptos

(*a*) *Epist. ad Galat. cap.* II. *v. 11. sqq.*
(*b*) *Matth. cap.* II. *v. 16. sqq.*

scribit. Rem enim (cuius meminisse Iosephus debuit, si evenisset) ab Iosepho ipso praetermissam, numquam evenisse defendent homines similes Anabaptistarum, e quorum laqueis ut se expedire Spanhemius queat, non video. Nam hoc illi argumentabuntur modo. Qui indicia crudelitatis Herodis multo minora persequutus est, is maximum atque gravissimum, si ullum fuisset, silentio non praeterisset? Fuisset vero nex infantium Bethlehemitarum maximum, atque gravissimum herodianae saevitiae, crudelitatisque indicium. Eam igitur Iosephus, si contigisset, silentio minime praeterisset. Praetermisit autem. Non igitur contigit. Quid ad haec Spanhemius? Scilicet aut nobis argumentum *negans*, si contra *positiva* in promptu sint, contemnendum aientibus, assentiatur; aut Matthaeo adimat auctoritatem et fidem necesse est.

At non defuit Lucae itineris Petri commemorandi occasio. Quasi vero Iosepho defuerit opportunitas faciendi herodiani illius facinoris mentionem. Immo vero multo opportunior Iosepho oblata occasio fuit, quam Lucae. Quum enim ille vi in hippodromum (*a*) optimates Iudaeorum coactos, ut post eius regis interitum, perimerentur, diceret; quid erat caussae, quare de infanticidio

(*a*) Iosephus *Antiquit. iudaicar. lib.* XVII. *cap.* VI. *p. 846. tom.* I. *opp. edit. Havercampi.*

dicendum non arbitraretur? Quod si Macrobius (*a*) casu de nece filii Herodis loquens, multos tunc Herodis eiusdem scelere fuisse infantes interfectos narrat; cur non item narrat Iosephus, cum fuisse scribit ab eo rege in Antipatrum filium animadversum? Nam quod Lucas Simonem (*b*) in Samaria vendi sibi Spiritum sanctum rogantem repulsum a Petro fuisse tradiderit, satis non habuit opportunitatis, ut statim adderet, fuisse deinde Petrum coercendi Simonis eiusdem caussa profectum Romam. Multo est levius, quod Spanhemius adiungit, de institutis a Petro itineribus Ioppen (*c*), Lyddam, ac Caesaream. Ecquis enim sit horum cum itinere Petri romano nexus, assequi ne coniectura quidem possum. Quod mox animadvertit, nusquam fuisse ab Luca scriptum primum omnium Petrum intulisse christianam religionem Antiochiam, illi quidem exhibere negotium poterit, non mihi. Ab Luca enim, etsi actum de *legalibus* est, nullibi tamen scriptum quidquam video de Petri adventu aut ante, aut post synodum, Antiochiam. At Petrum Antiochiam aut ante, aut post synodum venisse, cumque dimissis christianis e gentibus, ad circumcisos transfugisset metu, gentesque *ad iudaizandum* cogere visus esset, redargutum publice a Paulo fuisse,

(*a*) Macr. *Saturnal. lib.* II. *c.* IV. *pag. 332. edit. an. 1670.*, Iosephus *ibid. cap.* VII. *pag. 847.*

(*b*) *Act. apostolic. cap.* VIII. *v. 14. sq.*

(*c*) *Act. apostolic. cap.* IX. *v. 32. sqq., et cap.* X. *v. 1. sqq.*

idem est testis in litteris ad Galatas (*a*) Paulus. Ac si Lucae silentium non efficit, Petrum saltem post synodum non petiisse Antiochiam; qui tandem efficere contra veterum omnium fidem, et auctoritatem poterit, eum non venisse multo ante synodum Antiochiam, indeque iter non instituisse Romam? Sed tunc Petri meminisse debuit, cum Romam advenienti Paulo fratres obviam processisse (*b*) narraret. Ineptum id quidem. Quid enim? an Petrum nos dicimus perpetuo constitisse Romae? Aberat tunc ille profecto. Itaque nominatus ab Luca non fuit. Quamquam illud etiam quaerendum ex adversariis est, quemnam nominarit eorum, qui Paulo occurrerunt, Lucas, ut Petrum una nominare debuerit? Cum autem nominarit neminem, quid est, quod censeam nominari ab eo omnino debuisse Petrum? Neque indicanda caussa ab Luca erat, quamobrem Petrus non aderat. Absurdum enim esset ab Iosepho caussam omissae ab se mentionis herodiani infanticidii petere. Non potuisse autem, neque debuisse Lucam iter Petri romanum, si institutum fuisset, omittere, tam demonstrare Spanhemius poterit, quam nec potuisse, nec debuisse Iosephum tacitum praeterire necis infantium Bethlehemitarum memoriam. Itaque si argumentum ex Iosephi si-

(*a*) *Cap.* II. *epist. ad Galatas v.* 11. *sqq.* **Nihil tale habet Lucas** *cap.* XV. *sq. Act. apostolicorum.*

(*b*) *Act. apostolic. cap.* XXVIII. *v.* 15. *sq.*

lentio petitum *negans* est, *negans* item erit, quod Spanhemius ex Luca repetendum duxit.

Exemplum Eusebii de apocryphis (*a*) non est ad rem. Valet enim apud nos etiam argumentum *negans* plerumque, si contra *positiva* monumenta desint. Nobis vero permulta sunt, eaque gravissima monumenta in promtu, quibus iter Petri romanum demonstrari possit. Simile est illius exempli, quod idem addit de lapsu (*b*) Marcellini a Baronio negato Spanhemius. Rem enim a Donatistis productam, neque ab Augustino, aliisve scriptoribus probatam, quis umquam in veris numerari ferat? Iohannae papissae fabulam etsi fuerunt XIII. sequentibusque saeculis historici, qui descripserint, tamen non *negativis* solum, sed *positivis* etiam, iisque gravissimis argumentis repulit post Allatium, Lambecium, aliosque, eruditissimus iuvenis basilicae Vaticanae canonicus, custosque tabularii Vaticani Iosephus Garampius (64) ea, quae est de nummo Benedicti III. dissertatione.

(*a*) Confer praeter cetera Eusebii *cap.* III. *lib.* III. *hist. eccl. pag. 80. seq. edit. Taurin.* Eo enim in capite, quae a maioribus admissa fuerunt, opera probat; quae reiecta, reiicit; quae ab aliquibus admissa, ab aliis contemta sunt, in dubiis ponenda statuit. Nos autem Petri romanum iter ab omnibus antiquis adsertum cernimus. Itaque si regulam Eusebii, ad quam provocat Spanhemius, consectemur, Petrum Romam venisse fateamur necesse est.

(*b*) Adeundus Baronius *ad an. 853. num.* LVI., et Norisius *hist. Donat. part.* I. *c.* VII. *tom.* IV. *opp. p. 125. seq. edit. Veronensis Balleriniorum.*

Venio ad epistolam Pauli ad Romanos. Fateor Petrum abfuisse Roma, cum scripta est. Quid ergo mirum, si eius est omissa a Paulo mentio? Meminisse autem Paulum iisdem in litteris virorum, quorum ante opera propagata fuisset Romae religio, praetermisso Petro, id vero est, quod esse dilucide, diligenterque explicandum arbitror. Nam ita a Spanhemio proponitur, quasi numerare Paulus decrerit omnes, qui ante, quam ipse in Italiam pervenisset, religionem induxissent Romam. Quod falsum est. Nihil enim facile Paulo in mentem venit, qui cognatos quosdam suos, sodalesque, qui Romae tunc erant, salutare statuerat, non autem numerare eos, qui etsi fuissent, tunc tamen non essent Romae. Quare salutem dicit (a) Aquilae, et Priscillae *simul adiutoribus in Christo Iesu:* Epaeneto *dilecto sibi, qui erat primitivus Asiae in Christo:* Mariae, *quae multum,* inquit, *laboravit in vobis:* Andronico, et Iuniae *cognatis, et concaptivis suis, qui erant nobiles in apostolis, qui et ante ipsum fuerunt in Christo:* Ampliato, Urbaño, Stachy, Apelli, eisque, qui ex Aristoboli domo erant, Herodioni, eis qui ex Narcissi erant domo, Tryphaenae, et Tryphosae, Persidi, Rufo, Asyncrito, Phlegonti, Hermae, Patrobae, Hermi, et fratribus, qui cum eis erant, Philologo, Iuliae, Nereo, sororique eius, et Olympiadi. Haec vero salutandi

(a) *Epist. ad Rom. cap.* XVI. *v. 3. seqq.*

ratio non est eiusmodi, ut viros, mulieresve, quas nominat Paulus, ante Petrum docuisse quemquam, ecclesiamque instituisse indicet. Itaque non erant haec a Spanhemio ita describenda, ac si Paulus decrevisset texere romanae ecclesiae apostolorum historiam, Petrumque consulto praetermisisset. Qua sane in re fidem Spanhemii, diligentiamque desidero. Quod urget, apostolum, qui aliorum fundamentis superaedificare nollet, numquam fuisse Romam, si Petrus eo se antea contulisset, venturum, ad rem profecto non pertinet. Nam Doctor gentium ad Romanos scribens, cum id affirmasset, continuo addidit: *ideo et impediebar plurimum venire ad vos* (*a*), quod alii ante ipsum praedicassent Romae. Est autem ridiculum, quod Salmasius, Spanhemiusque ex apostolatu circumcisionis concludunt. Etsi enim Petrus Iudaeorum apostolus fuit, tamen et sub Claudio Hebraeos permultos invenit Romae (65), et cum occasio oblata esset, sibi munus ethnicorum instituendorum (66) sumsit. Denique in epistolis Romae a Paulo scriptis etsi Petri mentionem omitti video,

(*a*) *Epist. ad Rom. cap.* XV. *v. 19.* « In virtute signorum, » et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti: ita ut ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim evangelium Christi. Sic autem praedicavi evangelium hoc, non » ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem, sed sicut scriptum est, quibus non est » annunciatum de eo, videbunt: et qui non audierunt, intelligent. Propter quod et impediebar plurimum venire ad » vos, et prohibitus sum usque adhuc etc. »

id tamen argumento est, abfuisse tunc inde graves ob caussas principem apostolorum, semper autem abfuisse non item. Quamobrem nihil erat, cur iis epistolis adversarii abuterentur, nobisque eas opponerent, qui ut fuisse ante Petrum Romae defendimus, ita tunc fuisse, cum Paulus scriberet, pernegamus.

At si magnus ea aetate numerus Hebraeorum Babylone erat, qua in Chaldaeorum urbe princeps adhuc erat captivitatis; quid caussae esse potuisset, cur Petrus, qui sortitus apostolatum circumcisionis fuerat, his dimissis, qui haud longe Antiochia distarent, Romam, ubi aut nulli, aut perpauci Iudaei degerent, proficisceretur?

Scio his delectari nugis Salmasium loco supra indicato. Sed turpissime labitur, secumque vehementer pugnat. Nam etsi facile concedam Petrum ante descendisse Antiochiam (67), quam Romam proficisceretur, Babylona tamen ea aetate *externi imperii sedem fuisse,* cum id nemo antiquorum tradiderit, numquam concedam. Sed fac etiam *externi* tunc imperii sedes fuerit Antiochia. Quid? An ullus veterum geographorum, historicorum, scriptorum denique fuit, qui Petri tempore pene regnasse Babylone Iudaeos, suumque habuisse αἰχμαλατάρχην testaretur? Haec si nemo umquam monumentis mandavit litterarum, qua confidentia Salmasius afferre est ausus, ut demonstraret Petrum cum Babylona contenderit, ibique perpetuo deinceps manserit, instituere iter

nequivisse Romam? Quo autem ille magistro didicit, summum apostolum Babylone perpetuo constitisse, siquidem in eam se urbem contulisset? Quod si Babylon *sedes erat externi imperii*, qui demum ostendet, eo fuisse profectum Petrum, cum a nemine scriptum veterum auctorum fuerit, Petrum extra imperii romani fines extulisse pedem? Commentis ne suis fidem adiungi, auctoritatemque oportere dicet; negari autem scriptoribus et gravibus, et vetustis Romam Petrum advenisse summa consensione pugnantibus? In historia vero, qui sic statuit, nisi vehementer erret, qui certe errare possit non video. Pugnat denique secum Salmasius, qui cum silentio Scripturarum novi Testamenti nixus Petrum venisse Romam, contra veterum christianorum sententiam, inficietur; tum silentium nihili pendat non scriptorum sacrorum modo, sed etiam ceterorum, quorum nullus fuit, qui Babylonem Chaldaeae aut caput fuisse externi imperii, aut sedem diceret aliquandiu fuisse principis apostolorum.

Extremum est, ut iis respondeam, qui ex Iohanne-baptista poeta Mantuano Carmelita, exque Salmerone Societatis Iesu theologo praesidium repetunt erroris sui. Etsi enim utrumque hoc in genere fuisse lapsum adversariis darem, nihil tamen veritas detrimenti caperet. Sed iniuriam facerem viris gravissimis, qui Petrum satis dilucide, explicateque confessi sunt et fuisse, et supremum diem obiisse Romae. Atque Mantuanus

quidem in eo, quem de sacris diebus edidit, libro (68) de principe apostolorum scribit hoc modo:

« Multa mari, et terris discrimina passus
» ad urbem
» Romuleam mundi dominam, rerumque
» potentem
» Venit, ubi aeterni iaceret primordia re-
» gni. »

Salmero autem tomo operum quarto (*a*), dictum adversariorum *impudentissimum* appellat *mendacium ex summa affectata ignoratione depromptum, sive potius ex insigni malitia.* Haec sibi Protestantes habeant, qui testimonia quaedam aut fraude detruncata, ac vitiata, aut aliorsum atque auctores voluerint, accepta proferunt, missis claris, atque perspicuis, quibus ipsorum funditus error evertitur. Lelandum (*b*), atque Molinaeum homines Sedis apostolicae inimicos, hostesque nefarios nihil moror. Ac si novis scriptoribus pugnandum est, his ego duobus, quos nobis Protestantes exprobrant, scholasticos primum omnes,

(*a*) *Commentarior. in evang. histor. et act. apostol. t.* IV. *part.* III. *tractat.* V. *pag. 449. edit. Colon. Agrip. an. 1602.*

(*b*) Iohannem Lelandum, Carolumque Molinaeum in eam sententiam, ut vidimus, laudant Spanhemius, eumque sequutus Zornius. Lelandum autem, qui catholicus aliquando videri voluerit, sed iunctus amicitia Henrico VIII. fuerit, nihili facio. Id ipsum dico de Molinaeo, cuius qui fuerit in Sedem apostolicam animus plane constat.

duce Thoma Aquinate, opponam, tum Driedonem (a), Pighium (b), Copum (69), Iohannem Roffensem, Thomam Stapletonum, Melchiorem Canum, Nicolaum Sanderum, Nicolaum Coeffetau, Franciscum Victoriam, Iohannem Viguerium, Franciscum Nauseum, Gasparem Contarenum, Peresium, Titelmannum, Reginaldum Polum, Thomam Campegium, Remundum Rufum, Gasparem Casalium, Iohannem Heselium, Franciscum Turrianum, Iohannem Moronum cardinalem, Iodocum Coccium, Abrahamum Ecchellensem, Cariophylum, Leonem Allatium, Inchoferum, Petrum Arcudium, Baronium, Bellarminum, Petavium, Natalem Alexandrum, Harlaeum, Andream Duvallium, Mauclerum, Hallerium, Habertum, Orsium, Fogginium, uno verbo omnes catholicos (c) doctores; Protestantes ipsos doctores (d), Nestorianos (e),

(a) *De dogmatibus variis, et libris apocryphis lib.* IV. *cap.* III. *part.* I. *seq. pag. 224. seqq. tom.* I. *opp. edit. lovan. an. 1550.*, Gregorium Cortesium singularem de Petri adventu in Urbem perscripsisse librum testatur Zornius *ibid. p. 733.*

(b) *Hierarchiae eccl. lib.* III. *cap.* XIII. *seqq. p. 134. seqq. edit. colon. an. 1558.*

(c) Vide *notationem n. 68.*

(d) Confer praeter eos, quos huius capitis initio nominavi, Zornium, si licet, loco indicato, qui Protestantes nostrae sententiae defensores numerat, et Hanchium *de scriptor. roman. lib.* II. *pag. 57. seqq.*, a quo multi in utramque partem scriptores recensentur.

(e) Confer Eutychium Alexandr., et aegyptiorum Iacobitarum martyrologium ad d. XXIX. mensis Athur, tertium

Eutychianos, seu Iacobitas (*a*), Photianos (*b*), gentes denique universas (*c*), quibus est quidquam de propagatione christianae religionis intellectum.

officium Pentecostes, quod Iacobitae adhibent, et *officium ss. Petri et Pauli, quo utuntur Nestoriani*. Apud Ecchellensem *ibid. cap.* XXIV. *pag. 244. seqq.* Vide praeterea epistolam Nestorianorum ad Pontificem Romanum, quam Andreas Masius latinam fecit, cuiusque partem in suum *de visibili monarchia opus lib.* VII. *pag. 646.* Nicolaus Sanderus transtulit. Sed omnia eius generis monumenta persequi non vacat.

(*a*) Nullum dubium est, quin graeci Photiani Petrum Romam venisse confiteantur. Id enim libri eorum ecclesiastici postulant. Vide Menea ad diem XXIX. Iunii *pag. 15. edit. Rom. an. 1736., et Menologium Basilii ad d.* XXIX. *Iun. edit. Urbin. an. 1727. pag. 145. et seq.* At rem perspicuam, non est cur multis esse confirmandam putem.

(*b*) Confer quae scripsi de Muhamedanis *pag. 255. huius vol. not. 4. (scilicet Tom. 5. Origin. et Antiq. Christian. edit. Rom. an. 1755. lib. 4. part. 2. §. 8). Ubi ait:* « Tam firma, » tam constans, tamque late patens haec est apud orientales » de principatu Petri sententia, ut vel ipsi Turcae confi» teantur, Pontificem Petri successorem *Calipham esse chri» stianorum.* Confer Renaudotium *perpét. de la foy de l'église » lib.* X. *cap.* IV. *pag. 784. edit. Paris. an. 1711.* » Similia refert Ecchellensis de Arabibus sive christianis, sive Muhamedanis, de Armeniis, de Syris variarum sectarum, de Chaldaeis. *Lib. de Origin. nom. Papae et eiusd. primat. cap. 24. 25.*

(*c*) Id vero ne veteres quidem ethnici negare audebant. Consule Iuliani apostatae testimonium apud Cyrillum Alexandrinum *lib.* X. *contra Iul. p. 327.*

S. PETRUS NON VERBO SOLUM, SED RE ETIAM VERA EPISCOPUS ROMANORUM FUIT.

Sed protestantes plerique omnes, qui iter Petri romanum, coacti veterum auctoritate confessi sunt, ne quid catholicis concessisse viderentur, quod novis Lutheranorum, Calvinianorum, Zuinglianorum, Socinianorumque factionibus detrimento esset; nihil nos proficere dixerunt posse, nisi illustribus documentis demonstraverimus, summum illum Apostolum fuisse etiam episcopum romanum.

Qui negent Petrum fuisse Romanae Ecclesiae Episcopum.

Id vero non modo non demonstrari, sed ne coniecturis quidem fieri cuiquam verisimile posse iactant. In his autem numerantur Martinus institutor ille, princepsque sectae Lutheranorum (*a*) eiusque sectatores, ut ceteros omittam, quos, cum de itinere Petri romano dissererem (*b*), nominavi, Iohannes Henichius (*c*), Thomas Ittigius (*d*), Salomon Deylingius (70), Calvinianique, quorum

(*a*) Confer *notationem n. 28.*

(*b*) Vide *not. eamdem.*

(*c*) *Loco indicato in eadem not.*

(*d*) *Histor. eccl. saec.* I. *cap.* IV. §. III. *pag. 229. edit. Lips. an. 1709.*

paragrapho superioris capitis secundo meminimus (*a*), in primisque Iohannes-baptista Brussetius in ea, quam praeside Salomone Van Tilio defendit *de Petro Romae martyre, non pontifice, dissertatione* (*b*). Non discrepat ab his Dodwellus homo alioqui de secta episcopalium (*c*). Sed modum faciam. Omnes enim numerare longum est.

Petrum vere, proprieque Romanum Episcopum fuisse, qui censeant.

Una autem omnium catholicorum sententia est, fuisse non verbo solum, sed re etiam vera episcopatu romano perfunctum (*d*) Petrum. Nam Harduinum, qui aut neget, aut dubitet (*e*), praetermitto. Notum est hominis ingenium, cui vix in historia quidquam, quod prae se speciem non ferret novitatis, placebat. Assentiri autem videntur nostris Britannorum ex ea secta nonnulli, quos episcopales, ob susceptam defensionem episcoporum dignitatis vocant. In horum sunt numero Pearsonus (*f*), Hammondus (*g*), aliique.

(*a*) *Notat. n. 28.*

(*b*) *Edit. Lugd. Batav. an. 1710.*

(*c*) *Dissertat. singular. de Rom. Pontif. primaev. success. cap.* XI. *pag. 152. seq. edit. opp. posth. Pearson. Lond. an. 1688.*

(*d*) Ita quidem scriptores illi omnes, quos extremo capite superiore *pag. 160. sq.* numeravimus.

(*e*) Vide *notationem n. 39.*

(*f*) *Dissert.* I. *de success. primor. episcopor. Romae cap.* VI. *pag. 27. seqq. edit. Lond. opp. posth. an. 1688.*

(*g*) *Dissert.* V. *de episcopis cap.* I. §. XVII. *pag. 258.*

Quibus testibus Petrum Romam venisse, iisdem fere Episcopum fuisse Romanorum efficitur.

Qui enim veteres Romam petiisse Petrum, romanamque ecclesiam constituisse, iidem ipsum vere, proprieque romanum antistitem fuisse affirmarunt. Venisse autem Petrum Romam adversarii tot tantorumque testium auctoritate victi confitentur. Episcopum igitur romanum eumdem fuisse, fateantur necesse est. Nam ut *facti*, quod aiunt, historici iter Petri romanum est, ita est historici *facti* episcopatus romanus Petri. In *facto* vero itineris statuendo mirifice valet, inimicis nostris fatentibus, veterum auctorum consensio. Quare valebit in adserendo etiam episcopatu romano Petri.

I. *Caius presbyter, Auctor librorum contra Marcionem, Eusebius, Hieronymus, Optatus, Augustinus, Severus Sulpicius, catalogique omnes Romanorum Pontificum Petrum verum fuisse Episcopum Romanum efficiunt.*

Testes adventus Petri ab adversariis appellantur scriptores secundi insequentiumque saeculorum. Iam vero in scriptoribus secundi, tertii, quarti, quinti, insequentiumque saeculorum, numerantur Caiùs presbyter, Auctor carminum contra Marcionem, Eusebius, Hieronymus, Optatus,

Augustinus, Sulpicius, auctoresque catalogorum pontificum. Atque Caius, seu quisquis ille est, qui contra Artemonem scripsit, floruitque extremo secundo, ineunteque tertio saeculo, successionem romanorum antistitum a Petro repetens, Petrum episcopum ostendit fuisse Romanorum (*a*). Accedit autem carminum adversus Marcionem scriptor, quem aequalem Tertulliani temporum fuisse arbitror, cuiusque hac de re illustrem produxi locum, cum contra Pauli episcopatum romanum agerem (71). Quod si Tertulliani quoque auctoritate pugnandum esset, huius item huc esse constaret propensiorem opinionem, qui in libro, qui est de Praescriptionibus, quamquam Petrum, ac Paulum apostolos fuisse Romanorum testatur, ordinationem tamen Clementis ab uno Petro repetendam censet (72). De Eusebio satis dixi, quo loco episcopatu romano numquam potitum fuisse Paulum demonstravi (73). De Hieronymo autem non est cur esse multis agendum putem, cuius est praeclara *in primo libri de viris illustribus capite* de romano xxv. annorum Petri episcopatu sententia (*b*). Optatus porro primum romanam

(*a*) Is autem auctor romanae ecclesiae addictus erat. Itaque comperta, quae ad eam pertinent, habebat. Eumdem atque Caium fuisse, Photius putat *bibliothec. codic.* XLVIII. *pag. 35. edit. Rothomag. an. 1653.* Sic vero habet apud Eusebium *lib.* V. *histor. ecclesiast. cap.* XXVIII. *p. 219.* de Victore: Ἦν τρισκαιδέκατος ἀπὸ Πέτρου ἐν Ῥώμῃ ἐπίσκοπος, *tertius ac decimus a Petro fuit Romae episcopus.*

(*b*) *Tom.* IV. *part.* II. *opp. ed. Martian. p. 101.* Vid. *not. 19.*

Sedem occupasse Petrum scribit, atque ei successisse Linum, Lino Clementem etc. (*a*). Eadem persequitur Augustinus epistola tertia et quinquagesima (*b*), nec dissentit Sulpicius Severus (*c*). Iam vero praeter catalogos et multos, et veteres, quos cum de Paulô dissererem, indicavi (74), consuli item poterit, quem Dodwellus in extrema *singulari de successione rom. episc. dissertatione* e Bodleiano museo descripsit, qui sane catalogus ad tempora fere Theodori pontificis, hoc est ad saeculum ecclesiae septimum pertinet (*d*). Nam in hoc etiam, ut in ceteris, primus in episcopis romanis Petrus apostolus, idemque episcopus ponitur. Romanos autem veteres, qui hosce catalogos ediderunt, origines suae ecclesiae ignorasse; eodemque in genere scriptores africanos, graecosque caecutiisse; veritatem autem nunc primum Protestantibus, non modo nullo teste, documen-

(*a*) *Optatus lib. 2. adv. Parmenian. cap. 3. pag. 31. ed. Antuerp. an. 1722.* « Ergo Cathedram unicam, quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus etc. »

(*b*) *S. Augustinus ep. 53. al. 165. ad Generosum pag. 91. tom. 2. op. edit. Antuerp. an. 1700.* « Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius et vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiae figuram gerenti Dominus ait: *super hac petram* etc. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus etc. »

(*c*) *Lib.* II. *pag. 159. edit. an. 1754.*

(*d*) *Pag. 222. seq. opp. posth. Pearsoni edit. Londin. an. 1688.*

toque, sed ne coniecturis quidem, pugnantibus patuisse quis credat?

II. *Idem testimoniis Patrum ostenditur, qui Petrum, non Paulum Sedem occupasse romanam dixerunt.*

Sic enim Auctor carminum contra Marcionem, Cyprianus, Optatus, Prudentius (*a*) aliique plures constituerunt, qui etsi Paulum Romae et multis laboribus, et martyrio fuisse perfunctum scirent, tamen uni Petro cathedram, sedemque episcopatus attribuerunt. Id ipsum etiam praeter ceteros anno quingentesimo duodecimo testati sunt orientis episcopi in litteris ad Symmachum pontificem (*b*). Cumque Petri cathedram

(*a*) Prudentius Hymn. 2. qui est de S. Laurentio v. 460.
Hîc nempe iam regnant duo
Apostolorum Principes;
Alter vocator gentium,
Alter Cathedram possidens
Primam, recludit creditas
Aeternitatis ianuas.

(*b*) *An. 512. Orientis Episcopi ep. ad Symm. Papam, quae est post epist.* VIII. *Symmachi eiusd. tom.* V. *concilior. edit. Venetae an. 1728. pag. 44.* hoc inter Petrum, ac Paulum interesse affirmarunt: Petrum cathedram Romanam tenuisse, Paulum vero, ut etiam Petrum, fuisse doctorem Romanorum. « Beatus gloriosorum Apostolorum princeps, cuius *cathedram* » beatitudini tuae credidit Christus optimus pastor.... Quem » imitatus.... festina ad adiuvandum nos, sicut beatus Pau-

catholici omnes primorum temporum sedem unitatis ecclesiasticae esse defenderent, ut ex locis Cypriani (75), Optati (76), aliorumque intelligi plane potest, mirabile profecto non est, eius cathedrae fortasse figuras non pictas solum, sed etiam gemmis maiorum memoria insculptas (77), cuiusmodi sunt eae, quas Aringhius, Bottarius, Gorius, atque Passerius ediderunt.

Tertium peti argumentum ex iis pontificum maximorum, Patrumque veterum testimoniis potest, quibus episcopos romanos Petri successores esse statuitur. At erit sequenti capite (*a*) opportunior expendendorum eorumdem testimoniorum locus. Intelligo autem fuisse aliquos, qui Petrum, *ea ratione, qua omnes apostoli habitu, et potestate totius orbis, actu vero illius urbis, et provinciae in qua apostolico munere functi sunt*, episcopum fuisse defenderent (*b*), atque hoc sensu

„ lus doctor vester ad auxilium quandoque Macedonum fe-
„ stinavit.... A sacro doctore tuo Petro quotidie doceris. „

(*a*) Scilicet cap. 6. quod est *de Rom. Pontifice successore Petri*. Verum cl. Mamachius morte praeventus haec edere non potuit; et imperfectum mansit opus. Ante aliquot annos cum de illo recudendo ageretur, vix aliquod fragmentum tomi sexti invenire licuit novis editoribus; quod typis Salviucci impressum est Romae anno 1851. Illud adeat, qui plura desiderat.

(*b*) Marcus Antonius de Dominis *de Republ. eccl. lib.* I. *cap.* VIII. *n.* V. *tom.* I. *opp. edit. Lond. an. 1617. pag. 87., et lib.* IV. *cap.* I. *num.* VIII. *pag.531. tom. eod.*, et Thomas Ittigius *hist. eccl. saec.* I. *cap.* IV. *n.* III. *pag. 229. edit. Lips. an. 1709.*

Patres intelligendos arbitrarentur, qui romanum episcopatum susceptum fuisse ab eodem apostolorum principe tradidissent (*a*).

Sed nae hi vehementer errant. Nam si ita Petrus episcopus romanus fuit, cur is solum episcopus romanus a Patribus dicitur, qui functus ante episcopatu antiocheno fuisset, non Corinthius, etsi Corinthi, non Ponticus, non Cappadox, non Galata, etsi in Ponto, in Galatia, in Cappadocia et fuerit, et religionem praedicarit, et ecclesias constituerit, auxeritque? Paulum praeterea quisquamne antiquorum aut Corinthium, aut Ephesium, aut Thessalonicensem, aut Philippensem episcopum appellavit, quod his in urbibus gesserit munus apostoli? Cum ergo Petrum episcopum romanum fuisse Patres dixerint, non ea latissima, qua adversarii optarent, sed hac pressiore, quam volumus, significatione episcopum dixerint romanum necesse est. Quod eo confirmari magis potest, quo videamus Petrum a maioribus ita omnino in catalogis pontificum romanorum poni, ut Clemens, ut Hyginus, ut Urbanus poni consuerunt, quos vere, proprieque antistites fuisse romanos liquet.

Multo est levius, quod idem Ittigius obiicit, Hieronymum primum fuisse huiusce episcopatus inventorem, cui proinde opponi antiquior Lactantius debeat, sive auctor libri de mortibus perse-

(*a*) Dannhaverus *Christeid. pag. 104.*

cutorum, qui nusquam Petrum episcopum fuisse Romanorum scribit. Nam quidquid tandem Scaliger (*a*) iactitet, etiamsi adiecta ea de episcopatu verba Eusebii chronico ab Hieronymo fuissent, tamen neque Hieronymi sententia ab Eusebiana (*b*) discrepat, neque primus Hieronymus fuit, qui episcopum fuisse Petrum Romanorum diceret. Longe sunt vetustiores Lucio Caecilio, Lactantioque Caius presbyter, Auctor carminum contra Marcionem, et fortasse etiam Liberiani catalogi conditor, quam sit Lactantius idem Hieronymo. Atque haec de episcopatu romano Petri dicta sunto.

(*a*) *In animadv. ad Chronicon Eusebii pag. 189. edit. Amstelod. an. 1658.* Ei assentitur Vedelius *lib.* II. *de Petri cathedra cap.* XV.

(*b*) Vide *supr. pag. 136. not. 6.* Nullo autem documento evinci potest, addita haec fuisse Eusebiano chronico ab Hieronymo. Quod si exempla quaedam chronici graeci profert Scaliger, cur ea vitiata dicenda non sunt, ut vetustissimi, diligentissimique interpretis Hieronymi constet auctoritas?

ADNOTATIONES FUSIORES

IN

EXCERPTUM EX MAMACHIO

(1) De Marsilio vide quae scripsi *pag. 293. sq. huius vol.* Hunc, quem haereseos fuisse a pontifice damnatum ostendimus *ibidem* (ed. an. 1851. *vel* pag. 343. in edit. an. 1755.), Ruscouius in *triumph. catholicae veritatis pag. 124. edit. ven. an. 1619.* eumdem atque Marsilium Carrarieusem esse defeudit, qui principatu Patavii post Ubertiuum potitus est. Quod esse falsum, atque absurdum coustat. Iohannes autem Pozzolus *rational. roman. pontif. lib. 1. part.* IV. *in proleg. ac c.* I. *edit. an. 1716. pag. 83.*, et Thomas Ittigius *hist. eccl. saec.* I. *c.* IV. *n. 1. p. 217. edit. an. 1709.*, Marsilium Ficinum appellant. Sed Patavinum multo ante Ficinum vixisse liquet. Marsilius autem Patavinus idem atque Marsilius de Menandriuo fuit, qui *lib. defensorem pacis* inscriptum edidit. Extat id opus apud Goldastum *t.* II. *monarch. imperii pag. 155. seqq. edit. francof. an. 1614.* De Marsilio confer Ioh. Villanium *lib.* IX. *hist. cap.* CCLXV. *pag. 490. edit. flor. an. 1587.*, et Foggiuium *de rom. divi Petri itin. et apost. exercit. 1. pag. 3. seq.*

(2) Calvinus *lib.* IV. *instit. c.* VI. §. XV. *p. 297. seq. t.* IX. *opp. ed. amstelod. an. 1667.* dubitare ostendit se, num Petrus Romam venerit. In comment. autem ad epistolam Petri omnino negat. *In c.* V. *p. 33. seq. t.* VII. *edit. eiusd.* Confer Balduinum *in praef. ad Optat. Milevit. opera edit. ann. 1676.*, et Christiauum Lupum in scholiis ad Tertulliani *lib. de praescription. p. 571. in cap.* XXXVI. *edit. bruxell. an. 1675.*

(3) Apud Eusebium *lib.* II. *cap.* XXV. *p. 76.* « Ambo illi, » *inquit*, in urbem nostram Corinthum ingressi, sparso » evangelicae doctrinae semine nos instituerunt, et in Ita- » liam similiter profecti, cum vos (Romanos) perinde insti- » tuissent, eodem tempore ἐμαρτύρησαν *martyrio* functi sunt.

(4) S. Irenaeus *lib. 3. cap. 3. contr. haeres. pag. 176. edit. venet. an. 1734.* « Et habemus adnumerare eos, qui ab » Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successo- » res eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt... quale » *(ab haereticis)* deliratur... Sed quoniam valde longum est » in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare suc- » cessiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae a » gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fun- » datae et constitutae Ecclesiae eam, quam habet ab Apo- » stolis traditionem et annunciatam hominibus fidem per » successiones episcoporum pervenientem usque ad nos in- » dicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo... prae- » terquam oportet colligant. Ad hanc enim Ecclesiam pro- » pter potiorem principalitatem necesse est omnem conve- » nire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, » in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea » quae est ab Apostolis traditio. »

(5) Clemens Alexandrinus *in* IV. *institutionum* seu ὑποτυπώσεων *libro* apud Eusebium *lib.* II. *cap.* XV. *pag. 56. edit. Taurin.* « Cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice » praedicasset, et Spiritu Sancto afflatus Evangelium pro- » mulgasset etc.

(6) Caius eccl. Rom. presbyt. in eo libro, quem *adversus Proclum cataphrygam* scripsit apud Eusebium *lib.* II. *hist. eccl. c.* XXV. *p. 76. edit. eiusd.* « Ego vero, inquit, » Apostolorum tropaea possum ostendere. Nam sive in Va- » ticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent » tibi tropaea eorum, qui Ecclesiam illam stabiliverunt. »

(7) Tertullianus *lib. de praescript. cap. 126.* « Age iam » qui voles curiositatem melius exercere in negotio salu- » tis tuae. Percurro ecclesias apostolicas, apud quas ipsae

» adhuc cathedrae apostolorum suis locis praesident, apud » quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur sonantes » vocem, et repraesentantes faciem uniuscuiusque. Proxima » est tibi Achaia? Habes Corinthum. Si non longe es a » Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si » potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae » adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas prae- » sto est. Ista quam felix ecclesia, cui totam doctrinam apo- » stoli suo sanguine profuderunt. Ubi Petrus passioni do- » minicae adaequatur, ubi Paulus Iohannis exitu coronatur, » ubi apostolus Iohannes posteaquam in oleum igneum de- » mersus nihil passus est, in insulam relegatur. »

(8) *Lib.* III. *carmin. contr. Marcion. pag. 635. edit. opp. Tertullian. Venet. an. 1748.*

« Hac cathedra, Petrus qua sederat, ipse locatum
» Maxima Roma Linum, primum considere iussit.
» Huius Anacletus successor sorte locatus » etc.

Et paullo post:

« Constabat pietate vigens ecclesia Romae,
» Composita a Petro, cuius successor et ipse.
» Iamque loco nono cathedram suscepit Hyginus,
» Post hunc deinde Pius, Hermas cui germine frater
» Angelicus Pastor. »

(9) Origenes apud Euseb. *lib.* VI. *hist. eccl. c.* XXV. *p. 251. edit. taur.*, quo loco Clementis Alexandrini narrationem de Marco instituto Romae a Petro probat. Idem sic scribit *apud Eusebium lib.* III. *cap.* I. *p. 79.* « Petrus per Pontum, » Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, atque Asiam Iudaeis, » qui in dispersione erant, praedicasse existimatur: qui » ἐν Ῥώμῃ γενόμενος *Romam veniens* ad extremum cruci » suffixus est capite deorsum demisso.»

(10) Cyprianus epist. 55. ad Antonian. alias 52. « Factus » est Cornelius Episcopus de Dei et Christi eius iudicio, de » clericorum pene omnium testimonio, de plebis quae tunc » adfuit suffragio, et de sacerdotum antiquorum et bono- » rum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, idest

» cum locus Petri, et gradus cathedrae sacerdotalis va- » caret. »

(11) Firmilianus *epist. inter Cyprianicas 75. p. 220. ed. Oxon.* Adversus Stephanum disputans (qui doctos fuisse romanos ab apostolis Petro, ac Paulo, ne baptizatos ab haereticis rursum baptizare auderent, aiebat) docuisse Petrum, ac Paulum Romae non negat; ad illud, quod Stephanus de haereticis dixerat, docuisse, errans negat.

(12) Lactantius *lib. de vera sapientia cap.* XXI. *p. 332. edit. paris. opp. ann. 1748.* « Petrus, et Paulus Romae prae- » dicaverunt.» Eadem fere scribit Lucius Caecilius auctor illius *lib.* qui *de mortibus persecutorum* inscribitur *c.* II. *p. 184. t.* II. *opp. Lactantii:* « Cumque Nero imperaret, *in- » quit,* Petrus Romam advenit, et editis quibusdam mira- » culis, quae virtute ipsius Dei, data sibi ab eo potestate, » faciebat, convertit multos ad iustitiam, Deoque templum » fidele, ac stabile collocavit.»

Arnobius *lib. 2. advers. Gentes pag. 64. edit. Paris. an. 1605.* Petri Romam adventum commemorat, ab eoque uno Simonis magi praestigias fuisse dissipatas scribit.

(13) Petrus Episcopus Alexandrinus et martyr ex *serm. de poenit. can.* IX. *apud Beveregium t.* II. *synodici, sive pandect. canonum etc. p. 14. edit Oxon. an. 1672.* Οὕτως ὁ πρόκριτος τῶν ἀποστόλων Πέτρος πολλάκις συλληφθεὶς, καὶ φυλακισθεὶς, καὶ ἀτιμασθεὶς, ὕστερον ἐν Ῥώμῃ ἐσταυρώθη, καὶ ὁ περιβόητος Παῦλος πλεονάκις παραδοθεὶς, καὶ ἕως θανάτου κινδυνεύσας, πολλά τε ἀθλήσας, καὶ καυχησάμενος ἐν πολλοῖς διωγμοῖς, καὶ θλίψεσιν, ἐν τῇ αὐτῇ πόλει καὶ αὐτός μαχαίρᾳ τὴν κεφαλὴν ἀπετμήθη: « Ita Petrus apostolorum primus (seu potius *prae- » latus,* seu *praepositus,* seu *praecipuus*) saepe comprehensus, » et custodiae traditus, ignominiaque affectus, postremo Ro- » mae crucifixus est. Similiter inclytus Paulus saepe tradi- » tus, et ad mortem usque in periculum adductus, multa » mala perpessus, et in multis persecutionibus, afflictioni- » busque gloriatus, in eadem urbe ipse quoque gladio ca- » pite multatus est. »

Athanasius Apolog. de fuga sua. « Petrus qui sese metu » Iudaeorum absconderat, et Paulus Apostolus qui in sporta » demissus sic evaserat, his auditis verbis - oportet vos Ro- » mae martyrium subire - profectum non distulere suum: » imo potius gaudentes abierunt, et ille quidem ut ad suos » properans de nece sua gaudebat, hic vero cum tempus » adesset nequaquam exhorruit, sed gloriabundus ait: Ego » enim iam delibor, et tempus resolutionis meae instat. »

(14) Eusebius *lib.* IV. *Histor. Eccles. cap.* V. « Petrus » et Paulus divinissimi Apostoli testimonium pro Christo » exhibentes in eo certamine coronati sunt. . . Primus post » coryphaeum Petrum Romanorum Ecclesiae episcopus Li- » nus etc. *(Alia testimonia Eusebii refert Auctor in ipso Oper. Origin. et antiq. Christian. lib.* IV. §. X. *pag. 335. edit. Rom. an. 1850. n. 3. ubi eadem defendit ab adversariorum cavillationibus.)*

(15) Iulius pontifex sequutus Stephanum ceterosque episcopos romanos, qui ipsi praecesserunt, Petrum romanos docuisse ostendit. In epist. quam *an. 340.* ad Orientales scripsit ut est apud Athanasium in Apologia contra Arianos *n. 35.* « Nam quae accepimus a B. Petro Apostolo ea vobis » significo: non scripturus tamen, quod nota apud omnes ea » esse existimem, nisi quae gesta sunt nos conturbassent. »

(16) *Canon.* III. *synodi* Sardicen. *tom.* I. *concilior. edit. Hard. pag. 641.* Πέτρου τοῦ ἀποστόλου τὴν μνήμην τιμήσομεν, καὶ γραφητω παρὰ τούτων τῶν κρινάντων Ἰουλίῳ τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, ὥστε διὰ τῶν γειτνιώντων τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων κ. τ. λ. *Petri apostoli memoriam honoremus, et scribatur ab his, qui caussam iudicarunt Iulio episcopo Romae, vel etiam ab aliis* (episcopis) *qui in provincia proxima morantur etc.* Cum autem canonibus synodi subscribendo assensi fuerint episcopi itali, galli, hispani, thraces, macedones, achivi, daci, asiani, thessali, dardani, pannonii, palaestini, arabes; late eam fuisse sententiam, *traditionemque* propagatam credendum est. Cur vero haec dixissent de Petro tot praesules ecclesiarum, nisi Petri romanum credidissent iter?

(17) Damasus pontifex Liberium sequutus, qui apud Athanasium, *histor. Arianor. ad monachos n. 37. tom.* I. *opp. edit. Montfaucon. an. 1698.*, et apud Constantium *tom.* I. *collect. epistol. rom. pontif. pag. 431.*, traditiones romanam ecclesiam a Petro accepisse scribit, Damasus inquam, ut *lib.* IV. *p. 2. c. 1.* §. *3. n. 3. huius op.* demonstratum est, Petrum Romae sedisse affirmat. *Is enim ad Orientales scribens, uti est apud Theodoret. lib. 5. cap. 10. hist. eccles., inquit:* « Quod debitam Apostolicae Sedi reverentiam exhibet » charitas vestra, in eo vobis ipsis plurimum praestatis, filii » carissimi. Etsi enim in sancta Ecclesia, in qua sanctus Apo- » stolus sedens docuit, decet nos praecipue quodammodo » clavum tenere quem regendum suscepimus, tamen hoc » honore inferiores nos esse profitemur. » De catalogo pontificum Liberiano et dictum alio loco est, et dicetur, cum tempus monuerit capite mox seq. opportune.

(18) Ambrosius *lib.* I. *de interpellatione Iob cap.* I. *p. 760. tom.* I. *opp. ed. venet. an. 1748., et sermone contra Auxentium de basilicis tradendis class.* I. *epistolar. epist.* XXI. *p. 918. tom.* III. *edit. eiusd.* Consentit Cyrillus Hierosolymitanus, qui *catech.* VI. *n. 14.* scribit hoc modo: Πέτρος καὶ Παῦλος παραγενόμενοι, οἱ τῆς ἐκκλησίας προστάται. *Petrus et Paulus, qui Ecclesiae praesules, illuc (Romam) appulsi* Simonem subita morto perculerunt.

(19) Hieronymus *lib. de viris illustr. cap.* I. *p. 101. tom.* IV. *opp. edit. Martian.* Ibi: « Simon Petrus... ad expugnandum Si- » monem Magum Romam pergit, ibique vigintiquinque an- » nis Cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum an- » num Neronis, id est decimumquartum. A quo et affixus » cruci martyrio coronatus est, » etc.

(20) Chrysostomus *homil.* XXXII. *in epist. ad roman. n. 1. pag. 757. tom.* IX. *opp. edit. paris. Montfauc.* Ibi: « Non ita » splendet caelum cum radios sol emittit, ut Romanorum » urbs duas illas lucernas habens per totum orbem lucem » emittentes. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Cogitate » et exhorrescite, quod spectaculum visura sit Roma, Pau-

» lum videlicet repente ex illa theca cum Petro resurgen-
» tem, et sublatum in occursum Domini; qualem rosam
» Christo mittit Roma, quibus coronis urbs illa circumdatur,
» quibus aureis catenis cingitur, quos habet fontes! Pro-
» pterea urbem admiror, non propter auri copiam, vel pro-
» pter columnas aliumque fastum, sed propter has Ecclesiae
» columnas. »

(21) S. Augustinus serm. CCXVIII. in natali Apostolor. Petri et Pauli al. de diversis CVII. et alibi saepe. — S. Leo *Serm.* LXXXII. *in natal. apostolor. Petri et Pauli, alias* LXXX. cap. IV. « Ad hanc ergo urbem (Romam) tu beatissime Petro
» Apostole, venire non metuis; et consorte gloriae tuae Pau-
» lo Apostolo aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus oc-
» cupato, silvam istam frementium bestiarum, et turbulen-
» tissimae profunditatis oceanum, constantior quam cum
» supra mare gradereris, ingrederis. Nec mundi dominam
» times Romam etc. »

(22) Optatus Milevitanus scripsit libros adversus Parmenianum Donatistam an. circ. 374. Is *lib. 2. cap. 2. p. 31. edit. Dupinii Antuerpien. an. 1702.* « Negare, inquit, non
» potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram epi-
» scopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolo-
» rum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est: in qua
» una cathedra unitas ab omnibus servaretur; ne ceteri
» Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schi-
» smaticus et peccator esset, qui contra singularem cathe-
» dram alteram collocaret. »

Et Prudentius *hymn.* II. qui est de S. Laurentio *v. 406:*

Hic nempe iam regnant duo
Apostolorum principes,
Alter vocator gentium;
Alter Cathedram possidens
Primam, recludit creditas
Aeternitatis ianuas.

(23) Theodoritus Episcopus Cyri in epistola ad S. Leonem Papam (Op. S. Leon. ed. Baller. Tom. I. p. 941.) de Urbe Ro-

ma ita scripsit: « Habet praeterea communium patrum magistrorumque veritatis Petri et Pauli sepulchra, fidelium animas illuminantia. Quorum beatissimum ac divinum par, in Oriente quidem exortum est, et radios quaquaversum diffudit; sed in Occidente vitae occasum ultro subiit, atque inde nunc orbem universum collustrat. Hi Sedem vestram nobilissimam reddiderunt: hic bonorum vestrorum est apex. »

(24) S. Epiphanius *haeres.* XXVII. quae est *Carpocratianorum*: « Romae fuerunt primi Petrus et Paulus Apostoli iidem et Episcopi; deinde Linus, deinde Cletus, deinde Clemens.» (*Mamach. T. 5. Origin. et Antiq. lib. 4. pag. 395. n. 2. edit. Rom. 1755. animadvertit in textu graeco legi ἐν Ῥώμῃ; et eorum refellit errorem, qui romanum B. Pauli episcopatum temere adstruere non dubitant.*)

(25) Paulinus Nolanus (*Natal.* XI. *de S. Felice v. 54. seq.*) inquit:

Inde Petrum et Paulum romana fixit in Urbe
Principibus quoniam medicis caput Orbis egebat.

(26) Vide epistolam Petri Chrysologi *ad Eutychem inter epist. s. Leon. tom.* II. *opp. pag. 112. edit. rom. Caeciari.* Ibi: « In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his quae a Beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria Sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. »

(27) Vide *Rénaudot. Perp. de la foy etc. l.* X. *c.* IV. *p. 748. edit. paris. an. 1711.* In Synaxario Coptitarum ad d. VII. Mesro, qui dies kalendis respondet augusti mensis, haec leguntur: « Eadem die item festum celebramus beati apostoli Petri, quia ea die in medio discipulorum confessus est, quod Christus sit filius Dei vivi, quando eductos extra Caesaream Philippi, uti refert sanctum evangelium, interrogavit, quid de ipso dicerent... Beatum eum praedicavit Dominus, eique tradidit claves regni caelorum, potestatemque absolvendi, et ligandi. Ex hoc die Petrus

» factus est princeps super discipulos, eiusque successori » Romae datus est principatus super omnes principes uni- » versi. » Ebediesu *in collect. canonum* (ut ad me Aloysius Assemanus amicus meus ante aliquot menses scripsit) *cap. 1.*, quo loco de patriarcharum numero quaestionem instituit, habet hoc modo: « Magnae Romae concessus fuit, propter duas » columnas in ea positas, Petrum dico principem apostolo- » rum, et Paulum. » Confer *Ecchellens. Eutych. vindic. p.* II. *c.* XXIV. *p. 243. seqq. edit. rom. an. 1661.*

(28) In his sunt Iosephus Scaliger *in Chronicon Eusebii p. 197. edit. an. 1658.*, Sethus Calvis. in *Nerone p. 451. chronolog. edit. francof. an. 1650.*, Daniel Chamierus *panstrat. t.* II. *lib.* XI. *c.* XIX. *p. 444. sq. edit. an. 1626.*, Balthasar Bebelius *antiq. eccl. p. 21. edit. an. 1669.*, Blondellus *de primatu papae sect.* I. *p. 14. seqq.*, Hammondus *dissertat.* V. *de episcopis etc. cap.* 1. *pag. 254. seq. edit. an. 1651.*, Pearsonus *oper. posthum. pag. 27. 32. 43. edition. an. 1688.*, Patricius Iunius *in not. ad epist. s. Clementis ad corinthios apud Labbeum tom.* I. *concilior. edit. venetae pag. 172.*, Iohannes Pappus *epit. hist. eccles. edit. francof. an. 1661. pag. 22. seq.*, M. Henricus Kippingus *in not. ad Pappi epitomen*, Thomas Ittigius *hist. eccl. saec.* I. *cap.* IV. *pag. 216. seq. edit. lips. an. 1709.*, Iohannes Clericus *histor. eccl. duor. primor. saeculor. ad an.* LXVIII. *pag. 447. edit. an. 1716.*, Samuel Basnagius *annal. polit. et eccl. ad an.* LXIV. *n.* IX. *seqq. edit. an. 1706.*, Guillelmus Caveus *hist. eccl. litter. part.* I. *pag. 4. et part.* II. *pag. 2. seq. edit. an. 1699.*, Hugo Grotius *in* I. *Petri c.* V. *v. 13. p. 1112. opp. theologic. t.* II. *vol.* II. *edit. an. 1679.*, Usserius ad an. Christi LXVII. *seqq. pag. 692. edit. an. 1654.*, Isaacus Newtonus *cap.* I. *observat. in apocalyps. edit. amstelod. an. 1737.* Quique epistolas *ad roman. s. Ignatii* adnotationibus illustrare conati sunt, Iohannes Henichius *histor. eccl. et civil. part.* I. *saeculo* I. *c.* V. *p. 167. seq. edit. rinthcliensis an. 1669.*, Iohannes Albertus Fabricius *bibl. graecae lib.* IV. *cap.* V. *p. 164. tom.* III. *edit. hamburg. an. 1717.*, Ioh. Laurentius Moshemius *de rebus christianor. ante Constanti-*

num magnum saec. I. §. XXXIV., Christianus Matthaeus Pfaffius *instit. hist. eccl. saec.* I. *cap.* V. §. III. *pag.* 22. *edit. tubing. an.* 1721., Samuel Matefius *in concord. discord. lib.* II. *cap.* III. *pag.* 89. *edit. amstelod. an.* 1642., Iohan. Hernestus Grabius *annot. in cap.* I. *lib.* III. *s. Irenaei t.* II. *opp. edit. ven. an.* 1734., aliique prope innumerabiles. De Luthero nil statuo. Nam, *in resolut. de potest. papae p.* 306. *lucubrat. p.* I. *edit. basil. an.* 1520., etsi Petrum episcopum fuisse romanum negat, Romam tamen venisse non negat. Verum Iodocus Coccius *lib.* VII. *thesauri catholici ort.* V. *p.* 814. *edit. colon. an.* 1619. *tom.* I. « Martinus Lutherus, inquit, in col» loquiis ad mensam habitis, *cap. de antichristo* ait: omnes » historiae testantur Petrum primum Romae fuisse episco» pum; sed merae sunt fabulae. » Mihi vero haec colloquia videre non licuit. Non enim reperi. Magdeburgenses *centur.* I. *lib.* II. *capit.* X. *pag.* 561. *edit. basil. on.* 1560., non satis demonstrari posse arbitrantur, fuerit ne an non fuerit Romae Petrus. Si quid tamen assequi legendo potui, in eam propensiores esse videntur sententiam, quae negat venisse. Hoc idem Tilenus in *disp. Robert. Bellarm. lib.* II. *de rom. pontif. cap.* II. *p.* 167. *t.* III. *edit. an.* 1619., et Lambertus Danaeus *in* III. *controv. Bellar. ad cap.* III. *p.* 285. *edit. genev. an.* 1596., et Iohannes Henricus Heideggerus *histor. papatus p.* 3. *edit. an.* 1684. Catholicorum autem, qui in hoc genere argumenti versati fuerint, protestantesque illos, qui contra pugnarunt, accurate refellerint, maximum esse numerum video. Adeundi autem, praeter Baronium, Bellarminum, Natalem Alexandrum, et Fogginium, quos *p.* 316. *vol.* I. *huius oper. not.* 4. commemoravi, Emanuel Schelestratius *t.* II. *antiquit. ecclesiast. p.* 148. *seq. edit. rom. an.* 1697., Tillemontius *tom.* I. *monument. hist. ecclesiast. ant.* XXVIII. *p.* 70. *edit. bruxell. an.* 1732., Fevardentius *in not. in Iren. lib.* III. *c.* I. *p.* 267. *t.* II. *opp. Irenaei edit. venetae ann.* 1736., Iodocus Coccius *thesaur. cathol. lib.* VII. *art.* V. *p.* 814. *seqq. edit. colon. an.* 1619. *tom.* I., Franciscus Blanchinius *in not. ad Anast. biblioth. t.* II. *pag.* 7. *seq. edit.*

rom. Salvioni an. 1723., ut ceteros practermittam, quorum certe aliquorum sunt a Roccabertio in pontificiam bibliothecam translata opera.

(29) Svetonius in Claudio *cap.* XXV. *pag. 198. edit. lugd. an. 1660.* « Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes » Roma expulit.»

(30) Nam etsi a Papia fuisse haec de Petro dicta Rufinus interpretetur, tamen negat Valesius. Eusebii autem haec est sententia, *lib.* II. *histor. eccles. cap.* XV. *edit. Tour. pag. 59.* « Refert id *(de probato a Petro evangelio Marci)* » a Clemente in sexto institutionum libro, cui testis etiam » accedit Papias hierapolitanus episcopus.» Τοῦ δὲ Μάρκου μνημονεύειν τὸν Πέτρον ἐν τῇ προτέρᾳ ἐπιστολῇ, ἣν φασὶν καὶ συντάξαι ἐπ' αὐτῆς Ῥώμης, σημαίνειν τε τοῦτ' αὐτὸν τὴν πόλιν τροπικώτερον Βαβυλῶνα διὰ τούτων προσειπόντα· ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ, καὶ Μάρκος ὁ υἱός μου. *Marci autem meminisse Petrum in priore epistola, quam, aiunt, compositam ab eo in ipsa Roma. Id (Petrum) ipsum significare urbem appellantem tropice Babylonem. Salutat vos, quae in Babylone coelecta, et Marcus filius meus.* Quinam vero hi sunt, qui φασίν, *aiunt*, nisi forte ii, quorum ἀμέσως ante memineratm nempe Clemens, atque Papias? Sed fac non fuerint, at veteres saltem aliquot fuerint, necesse est.

(31) Millius *in ep.* I. *Petri cap.* V. *v. 15.* Fuisse praeterea aliquos certum est, eosque iam ex oriente scriptores, qui Rhodem in Actis apostolicis nominatam a Petro, cuius illa aut uxor, aut filia esset, συνεκλεκτήν appellari arbitrarentur. Vide Barhebraeum *apud Assemanum bibl. orient. part.* II. *tom.* III. *p. 7. edit. rom.* Immo vero Barhebraeus idem in absurdiorem labitur opinionem. Nam coetum apostolorum συνεκλεκτῆς nomine a Petro vocari ait, *Babylonis* autem appellatione *coenaculum*. Sed nugas, ab antiquis ne auditas quidem relinquo.

(32) Aegyptiam significari Babylonem a Petro auctor est praeter ceteros Pearsonus *opp. posthum. p. 54. 56.* Non discere, at Hornius *loc. supr. indic.* Cosmae Indicopleustae

monachi, qui sexto saeculo floruit, in chaldaeorum Babylonem apte cadere videtur posse sententia *(lib.* II. *christianor. opinion. de mundo p. 148. tom.* II. *collect. veter. pp. edit. paris. Montfaucon. an. 1706.)*, quamquam est ea quidem obscura, atque implicata. Discrepat autem is fabulator ab antiquis scriptoribus ceteris, quorum longe maior est existimatio, et auctoritas.

(33) A Persis, qui cum Cambyse Aegypto potiti fuerant, eo in loco, in quo Lithus oppidum erat, Babylonem hanc conditam Iosephus scribit. *Lib.* XXI. *antiquitat. cap.* V. Confer Fogginium *exercit. pag. 192. de itiner. et episc. rom. Petri*, et Cellarium *geogr. ant. tom.* II. *lib.* I. *cap.* I. *sect.* V. *edit. lips. an. 1732.* Exiguum autem illam ea aetate, qua Petrus scripsit, castellum fuisse ostendit ex XVII. Strabonis libro Fogginius *ibid. pag. 192.*

(34) Est vero ridiculum, quod Pearsonus de Aegyptia Babylone scribit. Petrum enim in hac ait fuisse quod Marci in extremo epistolae I. versu meminerit. Quasi vero in Creta insula Paulus epistolas scribere debuerit, aut Philippis, cum Titi, aut Epaphroditae mentionem fecit. Indigna haec sunt, quam ut viris doctis ad explicandum proponi aut debeant, aut possint.

(35) Babylonem chaldaeorum indicari a Petro censent Iosephus Scaliger *in not. ad chronicon Eusebii p. 189. edit. an. 1658.*, Salmasius *de primatu papae pag. 14. edit. an. 1645.*, Samuel Basnagius *ad an. Chr.* XLVI. *n. 27. pag. 561. tom.* I. *annal.*, Guillelmus Caveus *hist. litt. part.* I. *pag. 4. col. 2. edit. genev.*, aliique de protestantium quidem sectis; et ex iis, qui nobiscum societate communionis essent coniuncti, Petrus de Marca *de concord. sacerd. et imperii part.* I. *lib.* VI. *cap.* I. *n. 4.*, et Dupinius *tom.* I. *biblioth. pag. 68. et 70. edit. an. 1693.* Confer Fogginium *ibid. p. 187.*

(36) Perraro namque a scriptoribus provincia babylonica Babylon appellatur. Confer Fogginium *ibid. pag. 204. seq.* Deinde nemo est veterum, qui in provinciam illam venisse umquam Petrum tradiderit. Contra Petrum ipsum Romae una

cum Marco fuisse summa consensione patres testantur. Quod mox videbimus. Quid ergo obstabat, quominus in priore epistola salutari a Marco, atque a coelecta, quae in Babylone erat, ad Cappadoces, Galatas etc. scribens, Romam Babylonis indicaret Petrus nomine?

(37) Nugas agit Capellus, qui Hierosolymam a Petro fuisse Babylonem vocatam scribit. Principio enim cum Petrus epistolam dedit, superstitio idolorum Hierosolymam haud invaserat. Multa ibi Iudaeorum millia numerabantur. Quin etiam ecclesia christianorum sub Iacobo illustris erat. Quemadmodum autem vocari Babylon poterat, cum id nomen usurpatum a Petro fuerit, indicandae idololatriae caussa, quae in ea, ex qua scribebat, urbe mortalium animos occupaverat? Neque vero quisquam fuit scriptorum aut sacrorum, aut aliorum, qui Babylona Hierosolymam appellaverit. Ac Cyrilli quidem Alexandrini, Procopiique Cyrillum sequentis reiecta a doctis viris, explosaque sententia est, qui ab Isaia datum Hierosolymis fuisse arbitrantur Babylonis nomen. In Capelli errorem incidit Harduinus. Confer illius *commentar. in* I. *Petri cap.* V. *v. 13. p. 701. edit. amstel. an. 1741.* Idem multa eadem de re in commentariis in apocalypsim turbat, quae a sensu communi hominum longe discrepant. *In cap.* XI. *v. 9. pag. 760., et in cap.* XVII. *v. 5. seqq. pag. 772.* Sed de Harduino erit paullo post opportunus disserendi locus. Ad Millium quod attinet, qui *in not. ad cap.* V. *ep.* I. *Petri pag. 718. edit. nov. testamenti graec. an. 1707.* ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτήν *coelectam in Babylone* uxorem fuisse Petri nugatur, hoc breve dico: Eo illius mihi absurdam sententiam videri, quo a nemine probetur veterum. Quod enim commenticium, atque ab antiquorum communi interpretatione alienum est, absurdum et haberi, et esse debet. Quod si quis cum Harduino roget, cur *ecclesiam, quae est in Babylone etc.* Hieronymus a Petro memorari dixerit, cum in graeco epistolae Petri textu nihil sit simile; huic equidem facile respondebimus idem ἐκλέγειν eligere, atque ἐκκαλεῖν evocare videri. Quamobrem ἐκλεκτήν,

atque ἐκκλησίαν esse omnino synonima. Nam christiani ut *evocati* ita *electi* appellari solent. Quare τὸ συνεκλεκτὴν *ecclesiam unam coelectam* indicare. Atque haec quidem Hammondo probantur. *Comment. in nov. testament. ad cap.* v. *epistolae* I. *Petri v. 13., Oecumen. in* I. *Petri cap.* V. *v. 13. p. 166. edit. veron. an. 1532. et edit. paris. an. 1631. p. 525.* Quo loco Babylonis nomine idem Oecumenius τὴν Ῥώμην *Romam* appellari scribit.

(38) Confer Eusebium *lib.* II. *cap.* XV. *hist. eccl. pag. 59. edit. taurin.*, quo loco sententiam Papiae, atque Clementis Alexandrini proponit: et *lib.* VI. *c.* XIV. *p. 237. seq.* ubi, quid Clemens idem eadem de re sentiat, ostendit: et *cap.* XXV. *p. 252.*, ubi Origenis locum de Marco evangelii, ut a Petro acceperat, scriptore, et a Petro in priore epistola commemorato, exhibet. Mutuatus autem Origenes a Clemente videtur fuisse, quae de hoc genere argumenti scribit. Irenaeus vero *lib.* III. *contra haeres. cap.* I. *p. 174. tom.* I. *opp. edit. venet. an. 1734.* Τοῦ Πέτρου, inquit, καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων, καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν· μετὰ δὲ τούτων ἔξοδον, Μάρκος ὁ μαθητὴς, καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. « Cum Petrus, et Paulus Romae evangelizarent, et » fundarent ecclesiam (Matthaeus scripsit). Post vero horum » excessum, Marcus discipulus, et interpres Petri, et ipse, » quae a Petro praedicata erant, praescripta nobis tradidit.» Vide eiusd *libri cap.* X. *p. 187.*, et Tertulliani *lib.* IV. *contra Marcionem cap.* V. *p. 416. edit. venet. opp. an. 1744.*, et Eusebii *lib.* III. *demonstr. evang. cap.* VII. *pag. 120. seq. edit. colon. ann. 1688.* Hieronymi, Epiphanii, Chrysostomi hac ipsa de re locos indicat Fogginius *exerc.* XI. *pag. 217. seq. de rom. divi Petri itiner. et apost.* At repugnat, dicet quispiam, Irenaeus cum aliis patribus, ut qui post excessum apostolorum Petri, ac Pauli scriptum a Marco evangelium fuisse ferat. Sunt qui post *discessum* legant. Ego sic statuo: De adventu Petri, Marcique Romam veteres convenire, quamobrem iis assentior; quod si aliis de rebus dissident, parvi

refert. Dissidentium enim id probe, quod esse reor ad veritatem propensius.

(39) Sic enim statuit Harduinus in commentariis in evangelium secundum Matthaeum *cap.* XXIII. *v. 34. pag. 81. edit. Amstelod. an. 1741.* « Occidetis, *inquit,* Stephanum *(o Iu*» *daei),* Petrum crucifigetis. Certe et aliquem ex his, quos » missurus erat, crucifigendum esse ab ipsismet Iudaeis, stan» te urbe, et aede Christus praedicit his verbis: et idem » Iohannis XXI. v. 18. 19. crucifigendum esse Petrum prae» nunciat, nec alius omnino legitur ab ipsis crucifixus. Va» ticinium istud Salvatoris apertius est profecto, quam ut » fas sit illud, ob quantumlibet ingentem numerum multo » postea secus narrantium, qui nec ipsi inter se constant, » in aliam sententiam detorquere. Petri saltem caput Ro» mam postea fuisse delatum a christianis ex Hierosolymis » omnino credimus, ibique religiose illud coli oportere. At » Romam venisse Petrum necesse non est, ut sit summus » pontifex Christi vicarius, et Petri successor, quippe qui » proprie episcopus romanus, sive solius urbis Romae non » sit, sed ut in bullis suis semper superscribit: *Clemens* » *episcopus,* vel *Clemens papa:* aut ut subscribit in iisdem » ab omni aevo: *ego Clemens,* aliove nomine, *catholicae ec*» *clesiae episcopus.* Neque cum romanam aliamve peculiarem » dioecesim, sed orbem christianum universum Christus Petro » regendum commisit.» Haec ille turbat, ut res inter se pugnantes possit componere. At veteres omnes et venisse Romam, et mortuum ibi fuisse Petrum, et ob episcopatum Petri romanum pontificem esse eiusdem Petri successorem scribunt.

(40) Iustinus martyr *dialogo cum Tryphone n.* CVIII. *pag. 213. edit. venet. an. 1747.* Iudaeum alloquens, « Non » modo, inquit, poenitentiam non egistis, postquam illum » ex mortuis resurrexisse didicistis, sed etiam, ut iam dixi, » delectos homines constituistis, ac per eos in totum ter» rarum orbem missos praedicastis, impiam quamdam, et » exlegem sectam a deceptore quodam Iesu Galilaeo exci-

» tatam esse. . . . Quin etiam docuisse illum addidistis impia » illa, et nefanda, ac detestabilia facinora, quae adversus » eos, qui illum Christum et doctorem, et filium Dei profi- » tentur, apud omne hominum genus spargitis. » Consule n. CXVIII. *pag.* 222., et quae fuse porsequitur *n.* XVII. *p.* 122. *seq.* Eadem fere scribit Origenes in VI. *contra Ce'sum libro cap.* XXVI. *tom.* I. *opp. edit. paris. monach. congr. s. Mauri.*

(41) Negat quidquam fuisse traditum a Clemente Spanhemius, quod ad iter Petri romanum spectet. Agi enim ab eo in epistola ad Corinthios de Petri Paulique laboribus, sed Petri iter in occidentem, locumque martyrii non indicari; contra Pauli indicari et profectionem in occidentem, et martyrium in urbe. Eadem fere turbat Salmasius *de prim. papae in apparatu p. 48. seq.* At Clemens satis perspicue martyrio Petrnm Romae fnisse perfunctum demonstrat *epist.*I. *cap.* V. *p.* 12. *edit. Coustant. tom.* I. *collect. epistolar. rom. pont.*, ut qui negare audent, oculis captos esse oporteat. Nam Roma ad Corinthios scribens, missa ab se fieri vetera exempla, atque ea afferri dicit, quae ipsum proxime attigerent, atque propinqua essent. Ἀλλ' ἵνα τῶν ἀρχαίων ὑποδειγμάτων παυσώμεθα, ἔλθωμεν ἐπὶ τοὺς ἔγγιστα γινομένους ἀθλητάς. Memorat vero τοὺς ἔγγιστα γενομένους, qui non aetate modo, sed loco etiam ipsi fuissent propinqui. Alioqui cur Petrum solum, ac Paulum, et mulieres quasdam, quae Romae affectae supplicio fuerant, meminisset, praeterisset vero, ut reipsa praeterit,. Iacobum Iohannis fratrem, Stephanum, aliosque, qui cum Hierosolymis, tum aliis in urbibus aut capite plexi, aut lapidibus obruti fuerunt? Mox autem addit: « Propter aemulationem, atque invidiam, qui ecclesiae » erant fideles, et iustissimao columnae, persecutionem etiam » usque ad mortem passi sunt. Accipimus prae oculis nostris » bonos apostolos. Πέτρος διὰ ζῆλον ἄδικον, οὐχ ἕνα, οὐδὲ δύο, » ἀλλὰ πλείονας ὑπέμεινεν πόνους, καὶ οὕτω μαρτυρήσας ἐπο- » ρεύθη εἰς τὸν ὀφειλόμενον τόπον τῆς δόξης. *Petrus per invi-* » *diam iniustam non unum, neque duos, sed multos susti-* » *nuit labores, atque ita martyr effectus abiit ad debitum*

» *gloriae locum.* » Sequitur porro: « Paulus patientiae prae-
» mium obtinuit, cum catenas septies portasset, virgis cae-
» sus, ac lapidatus esset; praeco factus in oriente, et occi-
» dente, eximium fidei suae decus accepit. Cum totum mun-
» dum docuisset iustitiam, et ad occidentis terminum ve-
» nisset, *καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων*, et *martyrium*
» *sub ducibus*, seu *principibus* passus esset, ita e mundo mi-
» gravit, et in locum sanctum abiit summum patientiae
» exemplar effectus. » Ubi de his est loquutus, statim ad-
iungit: « His viris, qui divinam vitam duxerunt, ingens ag-
» gregata est multitudo electorum, qui multas contumelias,
» multaque tormenta propter aemulationem passi, pulcher-
» rimo ἐν ἡμῖν *in nobis*, vel *apud nos* exemplo extiterunt. »
Cur autem ἐν ἡμῖν dicit, nisi quod Romae hi passi, subse-
quutique apostolos illos duos fuerint? Atque ex hac mul-
titudine duas commemorat martyras mulieres Romae vexa-
tas, Danaiden, ac Dircen, ostendens certe eos, quorum ante
meminerat, eadem in urbe martyres decessisse. Ἡ ἐκκλησία
vero τοῦ Θεοῦ ἡ παροικοῦσα Ῥώμην *ecclesia Dei incolens Ro-*
mam, cuius nomine ad Corinthiam Clemens scripsit, quaeque
initio epistolae συμφορὰς καὶ περιπτώσεις calamitates, ca-
susque adversos, qui sibi non multo ante acciderant, com-
memoravit, missisne martyribus, qui ipsam calamitatum
tempore illustravissent, alios conquisisset, qui ad se mini-
me pertinerent? Credat id quidem iudaeus apella, non ego.
At urbis, in qua passus est Petrus, Clemens non meminit.
Ridiculum! Quasi vero necesse fuisset urbis mentionem
facere, cum de iis ipsum egisse intelligeretur, qui Romae
martyrio fuissent perfuncti. Quid? cum de Paulo disserit,
an explicate Romae fuisse supplicio affectum tradit? Mini-
me. Cur autem? Scilicet, quia de martyribus romanis lo-
quebatur Clemens, quare non erat opus, ut urbis mentio-
nem faceret, cum quo de loco ageret, ex narrationis serie
constaret. Sed venisse Petrum in occidentem non scribit
Clemens, scribit autem venisse Paulum. Quid hoc fingi pot-
est argumento obtusius? An Romae pati Petrus potuisset,

nisi ex oriente in occidentem venisset? Cum igitur Clemens satis indicasset, mortuum Petrum fuisse Romae, supervacaneum certe fuisset ei, qui obiter rem attigisset, adventum Petri ex oriente in occidentem commemorare. At enim dicet quispiam: Pauli adventus in occidentem Clemens meminit. Recte sane. Sed quam ob caussam? Proposuerat sibi Clemens Pauli itinera, quo quidem in genere apostolos ceteros superavit, in memoriam revocare Corinthiorum. Itaque ut quam is late evangelium propagasset significaret, non commemorata Roma, ex oriente profectum ad terminos eum pervenisse occidentis scripsit. Itaque non magis explicate indicavit, si adversariorum dictis insistendum est, Paulum obiisse Romae, quam in Hispania aut in Britannia, quae tunc loca potius, quam urbs, occidentis termini dici commode poterant. Pearsonus enim Hispaniam intelligit, diss. 10. *de success. primor. episc. cap.* VII. §. IX., Britanniam Stilinflectus *orig. Britann. cap.* I. Quibus ergo argumentis ex hac Clementis epistola adversarii mortuum fuisse Paulum Romae efficient? Mihi sic videtur (nisi de romanis martyribus egisse Clementem, adeoque mortuum Paulum fuisse Romae concludant) eos numquam, quod de Paulo ipso Romae martyrio functo statuunt, ostensuros. Verumtamen hoc si dixerint, fateantur item, auctore Clemente, qui de martyribus romanis ageret, Petrum decessisse Romae necesse est. At instant Spanhemius, atque Salmasius, negantque generis illius supplicii, quo Petrus affectus est, fuisse a Clemente mentionem factam. Quid hoc sit nescio. Nam si concludi hinc putant posse, ignorasse Clementem, quo genere supplicii Petrus martyr obierit, adeoque Petrum mortuum non fuisse Romae, idipsum illis de Paulo concedendum erit, quod certe non concedunt. Etenim ne supplicium quidem, quo Paulus est affectus, memoravit Clemens. Pergunt autem, urgentque Paulum sub *principibus passum* a Clemente dici. Sed caveant, ne qui reperiantur, qui sumant, *ergo non Romae.* Si enim ἐπὶ τῶν ἡγουμένων. igitur ea in regione eaque in urbe, in qua plures, non unus prin-

cipatu potiretur. Romae autem tunc unus imperabat Nero, unusque ἡγούμενος; non ἡγούμενοι plures erant. Ac ridiculi profecto sunt Iunius, Colomesius, Fellus, qui τὸ ἐπὶ τῶν ἡγουμένων *sub imperatoribus*, sub *Nerone nimirum* Salmasium sequuti vertunt, quasi unus Nero multos imperatores faceret. Itaque rectius alii sub *praefectis* verterunt, usi Cypriani ex epistola ad Successum loco, qui sic habet: « Sed » et huic persecutioni quotidie insistunt praefecti in urbe, » ut si qui sibi oblati fuerint, animadvertantur. » Consule si libet *adnot. in epist. Clem. n.* V. *pag. 27. edit. lond. an. 1746. tom.* I. *apostolic. pp.* et Pearsonum *de serie et success. primor. episcopor. cap.* VIII. §. IX. *opp. posthum. pag. 61. edit. londin. an. 1688.* Verum, ut aiebam, sive de praefectis, sive de principibus Clementis locus accipi debeat, numquam ex hac epistola efficiemus Paulum martyrem obiisse Romae, nisi Clementem ipsum de martyribus romanis agere fateamur. Denique ostendi sibi adversarii volunt, cur Petrum episcopum romanum, pontificemque maximum Clemens Petrum non appellarit, quo genere Paulo superior erat? Ego vero quod Clemens scripserit, quaero, non caussas, quae plurimae esse potuerunt, quamobrem quaedam non scripserit. In epistola vero, qua haec obiter, ut dixi, complexus est, non fuit opus tot res, tamque magnas commemorare. Tametsi Petrum, Paulumque non multo post *celeberrimos, seu praeclaro testimonio celebres* nominavit *num.* XLVII. *pag. 32.* Περὶ αὐτοῦ, inquit, καὶ Κηφᾶ, καὶ Ἀπολλώ... προσεκλίθητε γὰρ ἀποστόλοις μεμαρτυρημένοις, καὶ ἀνδρὶ δεδοκιμασμένῳ παρ' αὐτοῖς. *De se ipso* (hoc est Paulo) *et Cepha, et Apollo. . . propendebatis enim in apostolos testatae sanctitatis, et in virum ab illis probatum.* Hoc vero testimonio refelli quoque Harduinus potest, qui ante Clementem Alexandrinum neminem fuisse putat, qui diceret Cepham eumdem, aut non eumdem fuisse ac Petrum. Nam praeter Irenaeum, cuius nos locum supra descripsimus, Clemens romanus, ut vides, Paulum, ac Cepham apostolos testimonio celebres dicit fuisse, Apollo autem virum utrique apostolo probatum.

Atque de Clementis epistola ad Corinthios I. satis dictum esto.

(42) Spanhemius *l. ind. cap.* III. *n.* IV. Primo: epistolam ad Romanos Ignatii esse negat. Labitur. Vide *tom.* IV. *huius operis pag. 347. seqq.* Secundo: hac usos non fuisse Baronium, Allatium, Valesium scribit, cum de Petri adventu in urbem agerent. At est id certo levissimum. Non enim omnia illi scriptores animadverterunt. Tertio: in epistolis genuinis, quae dicuntur Ignatii, esse quaedam, quae cum actis pugnent apostolorum. In ea enim, quae est ad Magnesianos, *acquisisse Antiochenos christianum nomen dicit, Petro et Paulo ecclesiam fundantibus, n.* X. *p. 107.* Verum mala agit Spanhemius fide. Id enim in interpolata est, non in sincera ad Magnesianos epistola. In genuina quippe, *n.* X. *p. 137. seqq. ed. lond. an. 1746. tom.* II. *apost. pp.*, nihil simile extat. Possem tamen multis demonstrare, ut componi ea sententia cum actis apostolorum queat. Sed non est opus, cum non sit illa Ignatii. Quod vero ex epistola ad Philadelphenses opponit, *Petrum, Paulumque fuisse nuptiis sociatos*, quae res epistolis Pauli adversatur, eiusdem momenti est. Nam hoc in vitiata ad Philadelphenos epistola *n.* IV. *pag. 129.* ex III. Clementis Alexandrini *stromateon* libro desumtum extat; in genuina *n.* IV. *pag. 151. tom. eod.* non extat. Quarto: si interpolatae hae sunt epistolae, inquit, cur non item ea, quae est ad Romanos? At nos extare item interpolatam Ignatii ad Romanos epistolam, ultro damus: sed genuinis epistolis ad Magnesios, ad Philadelpheos, ad Romanos, quae perinde extant, utimur. In genuina autem est, quod de Petro diximus. Neque necesse est, ut si una, altera, tertiaque epistolae Ignatii vitiatae sint, omnes esse vitiatas oporteat. Quinto: etiamsi genuina haec esset ad Romanos epistola, tamen ex eo quod Ignatius scripserit: non sicut *Petrus, et Paulus praecipio* vobis, consequens esse negat, Petrum advenisse Romam. Respicere enim Ignatium ad apostolicam auctoritatem ait. *Pari enim ratione*, inquit, *scripsisse potuit: non sicut Christus, non sicut ceteri apostoli praecipio vobis.*

Potuerit: per me licet. Sed non scripsit. Solum enim scripsit: *non sicut Petrus, et Paulus*, quod certe ad Philadelphenos, ad Maguesios, ad Smyrnaeos, etc. non scripsit. Id vero argumento est, venisse ut Paulum, ita Petrum Romam, Romanosque docuisse. Atque hoc mirum est, Clementem, Ignatium etc. qui ad Romanos, vel de Romanis quidquam scripserunt, Petri, et Pauli meminisse casu, non meminisse autem, cum ad alios scriberent. Hoc nisi indicium adventus eorum apostolorum Romam sit, quid esse possit, non video.

(43) S. Leo *Serm.* I. *in nat. ss. apost. Petri, et Pauli,* qui sermo in Quesnelliana editione est *num.* LXXX., in Cacciariana vero *num.* LXXXII. *cap.* IV. *p.* 235. *tom.* I. *opp. edit. Cacciar. rom. an.* 1753., quo loco quasi alloquens Petrum, « Nec mundi dominam times Romam, *inquit,* qui in Caiphae domo expaveras sacerdotis ancillam. Numquid aut iudicio Pilati, aut saevitia Iudaeorum minor erat vel in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? » Guillelmus Caveus, qui notam Leoni fuisse ecclesiae romanae historiam perspiciebat, Leonem oratorem egisse scripsit: itaque Petri virtutem, fortitudinemque animi celebraturum, contemptum ab eo Claudium christianis infestum dixisse, etsi Petrus, dum Claudius imperavit, numquam sese contulisset Romam. *Tom.* II. *histor. litter. pag.* 4. *edit. colon. allobrog, an.* 1699. Sed oratori amplificare quidem res, de quibus agit, fortasse licet, mentiri autem non licet. Quamobrem fas sibi putasse Leonem virum gravissimum, atque sanctissimum, quod nemini fas esse sciret, non credam. Mentitus vero fuisset, si de eo, quem Claudio imperante Romam non venisse existimasset, ita fuisset loquutus, quasi romanum suscepisset iter. Quae autem fortitudo animi Petri fuisset, si Claudium contemsisset et absentem, et in christianos non modo saevi quidquam non imperantem, sed ne cogitantem quidem? Nam etsi Claudius christianos Roma una cum Iudaeis pellendos duxit, non religionis christianae, quam delere constituisset, sed quasi Hebraei essent, concitati tumultus caussa pellendos duxit.

Quamobrem si vera Leo praedicat, venerit Petrus Romam Claudio imperante, necesse est.

(44) Non eo haec dico, quo a protestantibus solum Lactantium testem adventus Petri Romam tum primum cum Nero imperio potiretur, vocari putem. Nam esse aliquos scio ex numero catholicorum, qui vocent. In his Stephanus Balutius in *adnot. ad lib. de mort. persecut. cap.* II. *p. 281. seqq. tom.* II. *opp. Lactant. edit. paris. an. 1748.*, Pagius *ad an.* XLIII. *n.* II. *seq. p. 39. seq. critic. Baron. edit. paris. an. 1689.*, Ludovicus du Four in observationibus *ad chronolog. pontificum*, ut idem est auctor Pagius *ibid.* Quamquam is labitur, dum Danielem Papebrochium sibi esse scribit consentientem. Nullum enim *in conatu chronico*, aut *in appendicibus* locum invenimus, ex quo intelligi queat, negatum ab eo Petri adventum Romam sub Claudio primum, deindeque sub Nerone, aut in controversiam fuisse revocatum. Immo vero *in eod. conatu chronico historico ad catalogum pontificum p. 12. n.* IV. *edit. antuerp.*, bis Petrum sub Claudio in urbem sese contulisse Papebrochius narrat. Iam vero Balutius, eumque sequutus Pagius, inde communem, ut ipsi iactant, errorem de episcopatu romano annorum XXV. Petri, ortum defendunt, quod Caecilius dixerit ipsis post Christi ascensum XXV. annis religionem fuisse late ab Apostolis propagatam, postque hos annos XXV. Petrum, cum Nero imperaret, venisse Romam. In eamdem fere sententiam, coniecturis inanibus suo more indulgens, ac veluti somnians, multa Dodwellus turbat. *Dissert. singulari de primaeva success. rom. pont. cap.* III. *p. 113. seq. adiuncta operibus posthumis Pearsoni edit. londin. an. 1688.* Sunt autem Caecilii verba huiusmodi, *c.* II. *p. 184. edit. eiusd. opp. Lactant. tom.* II. « Discipuli undecim.... ad» sumtis in locum Iudae proditoris Mathia, et Paulo, dispersi » sunt per omnem terram ad evangelium praedicandum, sic» ut illis magister Dominus imperaverat, et per annos XXV. » usque ad principium neroniani imperii, per omnes pro» vincias, et civitates Ecclesiae fundamenta miserunt. Cum» que iam Nero imperaret, Petrus Romam advenit. » Quibus

ex verbis plane liquet, non negari a Caecilio priorem Petri in urbem adventum sub Claudio. Immo cum is auctor *per omnes provincias, et civitates* imperii praesertim romani *per annos* XXV. a Christi ascensu in caelum, adeoque ante initium imperii Neronis propagatam fuisse religionem confiteatur, satis indicat, inlatam eam religionem in urbem fuisse eo XXV. annorum ab ascensu Christi intervallo. Alioqui *per omnes provincias, et civitates* numquam Caecilius dixisset, si in caput orbis Romam inlatum evangelium eo spatio temporis non fuisset. Si ergo ab Apostolorum aliquo, ut Caecilii oratio postulat, inducta in urbem christiana religio fuerat, a Petro inducta fuerit necesse est; cum praeter hunc, alium quemquam indicare, qui intulerit, nequeamus. Cur ergo, dicet quispiam, Caecilius addit, *cumque iam Nero imperaret, Petrus Romam advenit?* Scilicet instituerat Caecilius *de persecutoribus, mortibusque persecutorum scribere.* Itaque breviter descriptis, quae gesta ante illatam primam *persequutionem* fuerant, missis iis, quae ad propositum non pertinerent, ad rem venit, atque hoc initium coortae in nostros tempestatis fuisse affirmavit. Petrum Romam Nerone imperatore pervenisse, miraculaque edidisse. Nunciatum id fuisse Neroni. Hunc idolorum cultum minui aegre ferentem in nostros acriter saeviisse. Non tamen habuisse impune. Confer Nicolaum le Nourry *tom.* II. *appar. in bibl. pp. diss.* VI. *in Caecil. cap.* I. *tit.* IV. *pag. 1683. seq. edit. paris. an. 1715.* Quae cum ita sint, quid hinc demum extundi contra communem, pervulgatamque sententiam queat, non video. Sed fac ita sese res ipsa, ut Balutius Pagiusque putant, ab Caecilio descripta fuerit. Quaero cur potius ex dictis Caecilii de annis XXV. ortus error Eusebii in *chronico ad an.* II. *Claud. pag. 44. edit. Amstel. an. 1658.*, Hieronymi *lib. de vir. illustr. cap.* I. *p. 101. t.* IV. *part.* II. aliorumque fuerit, quam ex dictis Eusebii, Hieronymique error Caecilii, qui XXV. annos episcopatus romani Petri fecerit annos XXV. praedicationis Apostolorum? Ac facilius profecto est ex dictis multorum unius errorem, quam ex unius dictis proficisci erro-

rem multorum. Deinde quis credat huius libelli auctorem erroris occasionem aliis praebuisse, quem libellum Hieronymus fortasse numquam, Eusebius certe numquam legerat, qui si non vetustior, at aequalis saltem fuit temporum illorum, quibus Caecilius floruit? Fortasse autem dixi, propterea quod Nicolaus Lestoquius doctor ac socius Sorbonicus, *disquisit. de auctor. lib. de mort. persec. n. 2. p.* XLIX. *tom.* II. *opp. Lactantii edit. eiusdem*, librum de *persecutione* a Lactantio scriptum, et Hieronymo memoratum hunc ipsum defendat esse, qui *de mortibus persecutorum* inscribitur. *Hieron. de vir. illustr. cap.* LXXX. *p. 122. tom.* IV. *part.* II. *opp. edit. Martianaei Paris.* Neque vero ab Eusebio, et Hieronymo solum, sed ab aliis quoque scriptoribus, iisque vetustissimis, XXV. anni episcopatus romani Petri numerantur. Auctor catalogi Liberiani, qui si minus ab Anthero pontifice, ut visum Euschenio *(tom.* I. *act. ss. mensis aprilis p. 11. sq. n. 8. edit. Antuerp.)* Papebrochioque est *(propyl. ad act. ss. maii pag. 2. sq. eiusd.)*, at Liberii saltem tempore perscribi ab aliquo coepit, ut ostensum contra Dodwellum ab Schelestratio est, *dissert. de antiquis romanor. pontif. catalogis cap.* II. *num.* X. *sq. tom.* II. *Anastasii bibl. de vit. pontif. edit. rom. Salvioni pag.* XXIX. *sqq.*, ab iisque, qui Schelestratio praeiverant, ut a Bucherio, qui catalogum eumdem post Cuspinianum *comment. ad canon. paschalem* publicavit, a Petavio *lib.* V. *rationar. tempor. cap.* V., a Pearsono *diss.* I. *de success. primor. rom. episcopor. cap.* XIII. *num.* 2. animadversum est, auctor, inquam, catalogi Liberiani sic de Petro statuit: « Petrus » annis XXV. mense uno, diebus novem fuit temporibus Ti» berii Caesaris, et Caii, et Tiberii Claudii, et Neronis a » consulatu Vinicii, et Longini, usque Neronis, et veteris » (ms. cod. Bucherii apud Blanchinium, *t.* II. *Anast. pag.* VII. *et pag.* LXXXVII. habet: *Nervae et Veri,* legendum puto *Nervae et Vestini*, qui an. 65. consules fuerunt). « Passus autem » cum Paulo die III. kal. ss. iul. coss. imperante Nerone. » Quae verba non eo spectant, ut Petrum indicent ab an. 30., quo Vinicius, et Longinus coss. fuerunt, ad 55. vitam pro-

duxisse; sed vixisse Tiberio, Caio, Claudio, et Nerone imperatoribus, atque annis vigintiquinque romanam ecclesiam administrasse, obiisseque Nerva, et Vestino coss., hoc est anno 65. aerae vulgaris. Quamquam vero ab anno 2. Claudii ad an. 65. anni excurrerint viginti tres, non vigintiquinque, non primus tamen is auctor vetus fuit, qui haud recte instituerit annorum supputationem. Addita vet. pictur. basilicae s. Pauli inscriptio legitur huiusmodi: *Petrus sedit an.* XXV. *mens.* II. *d.* VII. Confer Francisci Blanchinii *opusc.* IX. *praefix. tom.* II. *Anastas. edit. Salv. rom. pag.* LXIII. *sqq. dissert. de antiquitat. romanor. pontif. catalog. pag.* LXXXVIII. Picturas inscriptionesque, quae in basilica eadem cernuntur, tempore Leonis I. perfectas Blanchinius *ibid.* demonstrat. Non discrepat catalogus Felicis IV. qui sic habet: *An. 25. m.* II. *d.* III. Conveniunt, quod ad numerum annorum attinet, catalogi *bergomensis, cavensis, farfensis, lucensis, belgicus Papebrochii, colbertini 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.* De caeteris autem scriptoribus, qui Eusebio, Hieronymoque recentiores sunt, non aeque inquirendum puto. Sunt enim maximo numero.

(45) Confer epistolam Iacobi de Vitriaco episcopi Aconiensis ad magistrum *Iohannem de Nivella an. 1220.* scriptam, quae extat *tom.* II. *gestor. Dei per Francos pag. 1149.* ubi « magister illorum (minorum) frater Franciscus nomi- » natur, *inquit*, qui adeo amabilis est, ut ab omnibus ho- » minibus veneretur. Cum venisset ad exercitum nostrum » zelo fidei accensus, ad exercitum hostium nostrorum ire » non timuit, et cum multis diebus Saracenis verbum Do- » mini praedicasset, et cum parum profecisset, Soldanus » rex Aegypti ab eo in secreto petiit, ut pro se Domino » supplicasset, quatenus religioni, quae magis Deo placeret, » divinitus inspiratus adhaereret. » Agit autem Iacobus de tempore, quo capta est urbs Damiata. Capta vero fuit, eodem Iacobo teste, nonis novembris an. 1219.

(46) At ne ante quartum quidem profectum e Palaestina Romam fuisse Petrum defendit Spanhemius ibid. « Ante » Petri vincula, *inquit*, fuit constanter in Palaestina Pe-

» trus, reversus Caesarea Hierosolymam (vide *act.* IX. *v. 26.*, » XI. *v. 2.*, *Gal.* I. *v. 18.*) actorum undecimo, quo Paulus Da- » masco profectus est ἱστορῆσαι Πέτρον tertio post conver- » sionem anno haud longe post huius herodiana vincula ». Sed hoc idem ipse argumentum evertit *n.* XX. *p. 52.* cum esse aliquos scribit, qui anno 1. vel 2. vel 3. ab ascensione Paulum ad Christum fuisse conversum putent, hoc est (iuxta nostros calculos, qui Christum anno 30. aerae vulgaris in caelum ascendisse censemus) anno Christi 31. vel 32. vel 33., atque horum sententiam coniecturis oppugnari fatetur posse, testimoniis veterum non posse. Si ergo anno 33. conversus ad Christum Paulus post annos tres ad Petrum venit, venerit aut anno 35. aut anno 36. necesse est. Verum ab an. 36. ad an. 42., quo Petrum advenisse sub Claudio Romam dicimus, anni sunt omnino sex. Usserius anno XXXV. Christi Paulum ad christiana sacra accessisse putat, *pag. 619. seqq. annal. part.* II. *edit. londin. an. 1654.* Huic si assentiamur, ann. 37. Paulus Hierosolymam visendi Petri caussa ascendit. *Ibid. p. 629.* Ab anno autem 37. ad ann. 42. anni sunt quinque. Igitur plurimum intererat spatii, ut Petrus Romam contenderet.

(47) Ita quidem Spanhemius *ibid. n.* XX. *p. 52.* qui assentiri sibi Valesium *ad* II. *Euseb. hist. eccl. librum p. 24. edit. paris. an. 1659.* videtur dicere. Fallitur. Nam Valesius varias ea de re sententias auctorum describit, nec indicat quam esse earum putet ad veritatem propensiorem. Nullam autem Spanhemius affert caussam, quare ne tertio quidem ab ascensu in caelum Christi servatoris anno accessisse Paulum ad sacra christianorum defendat. Contra fuisse aliquos veterum intelligo, qui illo ipso, quo Christus actus in crucem est, anno Stephanum lapidibus obrutum, Paulumque nostris fuisse sacris initiatum arbitrarentur. In his auctor *excerptor. chronologicor.*, quae cum Eusebii chronico edidit Scaliger, *edit. amstelod. an. 1658. pag. 82.* Quibus etsi non consentit Syncellus, tamen non admodum repugnat. Anno enim a morte Christi tertio Paulum narrat christianae re-

ligioni dedisse nomen. *Chron. pag. 329. ad an. Christi* XXXVII. *edit. paris. an. 1652.* Horum opiniones, quemadmodum (contra Eusebii, Hieronymique scriptorum et notorum, et gravissimorum fidem) refelli pseudo-Evodii anctoritate (confer *Nicephor. lib.* II. *histor. eccl. cap.* III. *pag. 134. tom.* I. *edit. paris. an. 1630.*) queant, qui septimo a Christi servatoris morte anno fuisse in Stephanum ab Iudaeis saevitum censet, assequi nullo modo possum. Neqne vero vis maior chronico paschali (quod scriptum saeculo septimo est) atque ἐπιτομῇ χρόνων *compendio temporum* (cuins est auctor ignotus) inest, Stephani mortem in annnm Claudii primum, Pauli vero conversionem in secnndum coniicientibus. *Chron. pasch. pag. 231. edit. paris. an. 1688. epit. tempor. apud Scaliger. ad chron. Euseb. pag. 265.* At res sane plures a Christi in caelum ascensu ad tempus, quo colere Paulus religionem christianam coepit, contigernnt; quas proinde Lncas ipsis octo capitibus complexus est. Ego vero mihi facile persuadeo, quae octo primis actuum apostolicorum capitibns comprehendit Lucas, duorum annorum intervallo evenire potuisse; multo autem magis trium. Anctum enim maiorem in modum iam usque a priore post mortem Christi servatoris anno numernm fuisse christianorum, satis est ex actis Lucae perspicuum. Festo namque pentecostes die tria hominnm millia προσετέθησαν apposita snnt. *Act.* II. *v. 41.* Quin etiam eo ipso anno et restituta per Petrum, atque Iohannem clando salus fuit, et Petri oratione permoti Iudaei, ad qninque millia Christo nomen dederunt, *ibid. cap.* IV. *v. 4.*, et adducti Petrus ipse, atque Iohannes ad sacerdotum concilium, et credentes communibns bonis nsi, et prodigio Ananias, illiusque coniux Saphira, ob scelus, sacrilegiumque extincti, et nmbra Petri miracula patrata, et addncti rursum ad concilium apostoli, propterea qnod pontificibns, ne de Christo orationem ad populum haberent, iubentibus minime paruissent, *cap.* V. *v. 5. seqq.;* et eodem fortasse anno, aut summum sequente dissensionum inter Graecos, Iudaeosque ortarum caussa instituti diaconi, et Stephanus, qui Spiritn

sancto plenus de Christi laudibus, virtuteque apud populum agere non desinebat, lapidibus obrutus, *cap.* VI. *et* VII., et statim in proximas provincias profecti dispersique *fideles*, non apostoli, quod Spanhemius errans scribit (nam Lucas *cap.* VIII. *v. 1. omnes dispersi sunt,* inquit, *per regiones Iudaeae, et Samariae πλὴν τῶν ἀποστόλων praeter apostolos*), et civitatibus Samariae nunciatum evangelium a Philippo, et Simon magus prodigiis a Deo Philippi prece perfectis commotus, baptismo tinctus, et apostoli de suscepta a Samaritis religione christiana certiores facti, cum finitima Iudaeae Samaria esset, et missi ad eos Petrus, atque Iohannes, et Hierosolymam reversi, et profectus in locum Gazam propinquum Philippus, et baptizatus Eunuchus, et Philippus a spiritu translatus Azotum, quae urbs erat Philistinorum haud longe ab Iudaea distans, et Paulus cum Damascum peteret, a Christo, ut saevire in nostros desineret, monitus, sacrisque christianorum initiatus est, *cap.* VIII. *et* IX. Haec enim cur anno primo, et secundo a morte Christi contingere omnia nequiverint, ne suspicari quidem possum. Sed Paulus baptizatus anno tertio fuerit. Longiore certe tempore non egeremus. Verum haec illa sunt, quae prioribus octo capitibus continentur. Quamobrem non erat, cur Spanhemius (non enumeratis rebus, quae comprehensae capitibus iisdem essent) octo nobis opponeret capita, ut horum nos numero perterrefaceret, quasi tot capitibus res paucorum annorum intervallo gestas comprehensas credere nefas esset. *At ex omnium consensione Paulus* anno circiter III. Claudii, tertioque a sua conversione Hierosolymam Petrum visurus contendit. Ita ne vero? Quae Spanhemii tanta confidentia esse potuit, ut quod perspicue falsum est, id nobis obiicere auderet? Ac nego, quod iactat de *omnium consensione.* Baronius ecce anno secundo a *Domini ascensione* Paulum baptismo fuisse initiatum *ad an.* XXXVI. *n.* III., Paulumque ipsum I. Caii Hierosolymam videndi Petri caussa venisse credit, *ad an.* XXXIX. *n.* IV. Calmetius id iter Pauli hierosolymitanum coniicit *in an.* XXXVIII. aerae vulgaris, qui

Caligulae secundus fuit, *tab. chronolog. pag. 501. tom.* II. *dissert. edit. lucens. an. 1729.*, Basnagius in *an.* XL., qui tertius Caii Caligulae annus fuit, *ad an.* XL. *n.* XV., Usserius in *an.* I. Caligulae *annalium part.* II. *pag. 629. edit. londin. an. 1654.* Huic assentitur Pearsonius. *In annalibus paulinis p. 2. seq. edit. londinensis opp. posthum. an. 1687.* Sed longus essem, si omnes persequi, qui a Spanhemio dissident, scriptores vellem. Vix enim ille perpaucos, eosque iam novos, numerare potest, qui ab ipso non discrepent. Iam vero si Paulus, ut nos arbitramur, anno secundo, vel tertio ab ascensu Christi in caelum nostris est sacris initiatus, hoc est anno aerae christianorum vulgaris XXXI. vel XXXII. vel XXXIII. (nam Christum anno XXX. passum diximus in priore huiusce operis libro), cum post annos vel a sui conversione, vel a priore itinere hierosolymitano XIV. Hierosolymam venerit ad concilium, sequitur ut venerit an. XLV. vel XLVI. vel XLVII., hoc est V. vel VI. vel VII. Claudii, si a conversione sumatur quatuordecim annorum initium: sin a primo itinere, an. XLVIII. vel XLIX., hoc est VIII. vel IX. vel X. Claudii anno. Baronius IX. venisse censet *ad an.* LI. *num.* VI. *seq.* Huic assentitur Pearsonius *annal. paulin. pagin. 8. seq.* Qui triennio post, nempe anno XXXIII. aerae vulgaris Christum fuisse passum defendunt, ii cum annorum XIV. initium a primo itinere ducendum putent, anno LII. aerae christianorum, sive XII. Claudii Paulum ad concilium accessisse pugnant. Ita Usserius, *ad ann.* LII. *pag. 654. tom.* II. *annal. edit. lond. supra indic.* Sed modum faciam, ne plus lectori afferam molestiae.

(48) Salmasius *appar. de primat. papae pag. 47.* Sed fac an. XII. Claudii orta inter Cepham, seu Petrum, Paulumque fuerit contentio de caeremoniis legis, Antiochiae. Quid? An tum primum Petrus venit Antiochiam, episcopatumque antiochenum constituit? Hieronymus certe, qui anno 2. Claudii episcopatum geri a Petro Romae coeptum, *lib. de viris illustr. cap.* I. *pag. 101. tom.* IV. *part.* II. *opp.*, scribens, statuensque ante fuisse antiochena cathedra potitum, satis ostendit,

constitutam fuisse a Petro sedem antiochenam ante an. II. eiusdem imperatoris, occupatamque a principe apostolorum. At non est a scriptoribus sacris memoriae traditum. Quasi vero omnia sacri scriptores complecti constituissent. Hieronymi verba sunt *ad cap.* II. *epist. ad Galat. pag. 244. edit. paris. Martian. opp. tom.* IV. *par.* II. « Primum episcopum » antiochenae ecclesiae Petrum fuisse accepimus, et Romam » exinde translatum, quod Lucas penitus omisit. » Confer Eusebium *chron. p. 204. edit. Amstelod. Scaligerianae an. 1658.*

(49) Eutychium, qui ab his scriptoribus laudatus fuerit, commemorat *ibid. pag. 56* Spanhemius. At Guillelmus Tyrius, qui *Seith filium patricii alexandrinum* patriarcham se sequi scribit in *prologo hist. a tempore successor. Mahumetis, initio tom.* II. *gestor. Dei per franc.*, non ab apostolorum aetate, sed ab Heraclio exordium narrandi sumit. Neque vero usquam chronotaxim Eutychii in omnibus probandam Ecchellensis dixit. Eutychium pugnantia hoc in genere praesertim loqui demonstrat Pearsonius *contra Salmasium* disputans. *De success. primor. episcopor. diss.* I. *cap.* VIII. *pag. 64. opp. posthum. edit. eiusd. lond.* Ac mirabile sane est, Salmasium, Spanhemiumque adversus iter Petri romanum agentes, ausos esse praesidium ab Eutychio petere, qui omnium ecclesiarum traditionem consectatus, Petrum Romae Nerone imperante cruci fuisse affixum dixit, *pag. 336. edit. Procockii oxon. an. 1658.* Omnium dixi ecclesiarum, cum id non monumenta solum ecclesiarum latinae, atque graecae, ut visum hactenus est, sed etiam orientalium quarumque ferant. Horum aliqua recenset Ecchellensis *Eutych. vindic. cap.* XXIV. *seqq. pag. 242. seqq. edit. rom. an. 1661.*, quem consulere lector poterit.

(50) Dionysii locum adduximus *(not. 3.)*. Sed eum non ita sumus interpretati, ut Valesius voluit, qui ob acceptam aliorsum atque graeca postulent verba, tanti scriptoris sententiam, a Pearsono *de success. primor. rom. episc. diss.* I. *c.* VIII. *n.* III. *p. 34. seq.* reprehenditur. Graeca enim Dionysii apud Eusebium *lib.* II. *cap.* XXV. sic habent: Καὶ γὰρ ἄμφω

καὶ εἰς τὴν ἡμετέραν Κόρινθον φυτεύσαντες ἡμᾶς ὁμοίως ἐδίδαξαν, ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὴν Ἰταλίαν ὁμόσε διδάξαντες ἐμαρτύρησαν κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν: quae latine ad verbum reddi possunt hoc modo: « *Etenim ambo et in nostra Corintho* (non ait Dionysius venisse utrumque eodem tempore) *plantantes nos* (adde *in fide*) *similiter docuerunt; et similiter in Italia audacter docentes martyrio functi sunt eodem tempore.* » Quamobrem Gelasius pontifex et doctior, et harum rerum peritior, et antiquior Eutychio, *in concil. rom. an. 494. pag. 938. t.* II. *concilior. edit. Hard.* « Petro, *inquit*, data est societas beatissimi Pauli apostoli vasis electionis, qui non diverso, » sicut haeretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque » die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Caesare » Nerone agonizatus, coronatus est. »

(51) Obiicit haec Spanhemius *c.* II. *n.* XXII. *p. 57. seq.* Itaque assentiri Eusebio videtur, Simonem sub Claudio mortuum aienti, a quo tamen de Petri itinere agente dissidet. Quamobrem non quod ratio postulat, sed quod lubet, imprudens sequitur. Quamquam non tam est, quam ipse putat, perspicua Eusebii de tempore interitus Simonis sententia. Confer *lib.* II. *histor. eccl. c.* XV. *pag. 59. edit. Taurin.* Valesius autem argumentando effici ex eo episcopi caesariensis loco posse concludit, Simonem imperante Claudio periisse. *In adnot. ad idem* XV. *Eusebii histor. eccl. caput, pag. ead.* Verum etsi patres, ut Cyrillus hierosolymitanus *catech.* VI. §. XV. *pag. 96. edit. Paris. an. 1720.*, Sulpitius Severus *lib.* II. *historiae pag. 160. edit. Veron. an. 1754. tom.* II., Maximus taurinensis *homil.* V. *de ss. Apostolis pag. 355. ed. Venetae an. 1341.* aliique, quos Tillemontius *tom.* I. *monum. histor. eccles. vit. s. Petri art.* XXXIV. *p. 76. seq. edit. an. 1732.*, et Touteeus *in adnotatione ad locum modo indicatum Cyrilli*, Baronius *ad an.* LXVIII. *n.* XVII. *seqq.* numerant, ita de Simone disserant, ut cum Nerone imperatore decessisse, statuere videantur; tamen assentiar Eusebio. Quid tum? an quia Simon ante perierat, praerepta Petro revertendi in urbem potestas fuit? Ego vero satis Petro ob susceptum episcopatum fuisse de-

fendo, non modo ut semel, sed etiam ut toties rediret, quoties sese illi opportunitas obtulisset. Consule Tillemontium *vita s. Petri art.* XXXI. *p. 73. tom.* I. *monum. hist. eccles. edit. Bruxell. an. 1732.*

(52) Calendar. Liberianum a Bucherio, Blanchinio, aliisque editum ad d. VIII. kalen. martias habet: *Natale Petri de cathedra.* Vide *tom.* II. *Anastas. biblioth. vit. roman. pont. opusc.* II. *pag. 9. edit. rom. Salvioni ann. 1723.* Hoc Toinardus loco diem adventus Petri in urbem indicari censet. Nec enim adventus indicatur Antiochiam. Romae enim olim, qui eius ecclesiae, non qui aliarum proprii erant, festi dies celebrabantur: Toinard. *loc. cit.* At Franciscus Blanchinius cathedrae antiochenae constitutionem refert in XXII. febr. diem, nempe ad d. VIII. kal. martias, romanae autem ad XXV. aprilis diem, idque ex notis annorum, mensium, atque dierum colligit, quibus Petrus in catalogis quibusdam fertur sedem occupasse romanam. Etsi enim non negat a Petro episcopatum romanum fundatum fuisse XV. kal. febr., primatum tamen ei ecclesiae ante d. XXV. aprilis datum negat. Sed est id argumentum levissimum. Nam catalogi, ut in annis conveniunt, ita in mensibus diebusque indicandis discrepant. Etenim Liberianus mensem numerat I. dies IX., Cavensis I. d. V., Colbertinus primus m. I. d. VIII., Colb. quartus m. I. d. VII., Colbertinus sept. m. III. d. VII. Caeteri etsi in mensibus duobus indicandis congruant; in diebus tamen dissident. In picturis enim basilicae s. Pauli dies sunt scripti VII., ut etiam in Farfensi catalogo, in Lucensi, et in Belgico Papebrochii. At in Bergom. d. VIII. ut in Colbertino tertio, et quinto. Quin etiam in Colbertino secundo dies numerantur III. Cum igitur tanta sit in notis mensium, dierumque diversitas, non est cur quisquam retrocedendo, comperire se ex catalogis mensem, diemque, quo Petrus Romam attigit, speret posse. Longius autem petitum argumentum est, quod ex litaniis, quae ante Gregorium Magnum XXV. aprilis die haberi solebant, concludit Blanchinius; plures enim earum supplicationum esse caussae poterant, ut perdifficile sit

ostendere, eas ob adventum Petri fuisse institutas. Blanchiu. *in not. ad Anastas. sect.* I. *n.* VI. *pag. 8. seqq. tom. eod.* II. Adeundus Fogginius *de roman. d. Petri itin. et apostolat. exercit.* XIX. *p. 446. seq.*

(53) Orosius *Hist. lib.* VII. *cap.* VI. *p. 466. seq. ed. Havere.* « Claudius ab Augusto quartus regnum adeptus est, mansitque » in eo annos quatuordecim. Exordio regni eius Petrus apo- » stolus domini nostri Iesu Christi Romam venit, et salu- » tarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, poten- » tissimisque virtutibus adprobavit. Exinde christiani Ro- » mae esse coeperunt. »

(54) Ex calendario Bucheriano, ut paullo ante ostensum est, Petrus Romam venit XXII. februarii mensis die: ex catalogo vero, ut *in adnotatione n. 44.* constitit, annis XXV. m. I. d. IX. Romae mansit. Obiit autem Nerva, et Vestino coss. d. III. kalen. iul. hoc est an. 65. vulgaris aerae. Petrus Franciscus Fogginius Nervae, et Vestini consulatum nostro arbitratu catalogo Liberiano, non veritate, apponi ait. *Exercitat.* XVI. *pag. 38.* Ac de Pagio quidem loquens, *ex libidine,* inquit, *non secus ac Bollandus legit Nervae, et Vestin. coss. nomina, ubi codex, unde illum catalogum Bucherius edidit, habebat nomina Nervae, et Veri.* At Nerva consul sane aliquando fuit, Verus autem cum Nerva numquam. Novi, inquit; *sed cur potius non substituuntur nomina Neronis, et Veteris, ut fecit Bucherius?* Verum quis Fogginium docuit *Nervae* nomen converti in nomen *Neronis*, et nomen *Veri* in *Veteris* nomen posse; nomen autem *Ver.* in *Vest.* nomen non posse? An enormem tot litterarum immutationem feram, exiguam contra unius, duarumve litterularum non item? Neque me movent consulum nomina *Saturn.* et *Scip.* sub quibus auspicatum fuisse Linum pontificatum catalogus indicat. Nam aliquos errores eiusmodi legi solere in catalogo, idem fatetur Fogginius. Quare catalogum sequor, cum consentit caeteris; cum a caeteris discrepat, nullo modo.

(55) Vide *supr. in adnotatione n. 44.* Ex his autem catalogis, Petrum XXV. an. episcopatum romanum gessisse

intelligitur. Quod si annus XXV. inchoatus, non completus fuit, Petrusque, ut in priore volumine diximus, an. LXVI. aerae vulgaris cruci suffixus est, iam an. XLII. aerae vulgaris Petrus Romam venire potuit. Nam a februarii mensis XXII. die an. XLII. ad XIX. iunii an. LXVI. anni numerantur XXIV. m. IV. d. VII. Adeundus Fogginius *exercit.* XVI. *pag.* 742. *seqq.*, quo quidem loco multorum hac de re systemata proponit, ac reiicit; quodque est de Petri martyrio in annum LXVI. reiiciendo, facile probat.

(56) De Irenaeo confer *notationem 4.* Multa adversus Irenaeum Spanhemius iactat *cap.* III. *num.* XIX. *pag.* 99. Fabulas illius aetate permultas fuisse in ecclesiam invectas scribit. A Papia eum fuisse institutum, qui absurda consectatus esset. Factum ab eo seniorem Christum, quam fuerit. Sed quam haec sint levia, nemo non videt. Nam si eorum scriptorum reiicienda in omnibus testimonia essent, quorum aetate permultae iam fabulae invaluissent, quique aliqua in re lapsi essent, institutique a magistris, qui res difficiles assequi nequivissent, nullum iam historicum, scriptorem nullum haberemus, quem sequi liceret. At fundatam, *inquit*, fuisse Irenaeus non a Petro solum, sed a Petro, et Paulo ecclesiam romanam scribit. Ridiculum! Cum enim initia, progressusque romanae ecclesiae Irenaeus persequeretur, satis futurum arbitrabatur, si utrumque apostolum commemoraret, quorum quidem alter, ut Petrus, fundarit, alter eam una cum Petro aedificaverit. Sed in huiusmodi Spanhemii nugis refellendis diutius tempus conterere non vacat.

(57) Tertullianus *lib. de praescr. cap.* XX. *pag. 208.* « Apostoli in orbem profecti eamdem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt. *Cap.* XXI. Communicamus cum ecclesiis apostolicis. *Et cap.* XXXII. Edant ergo (haeretici) origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum

„ ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille „ episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui „ tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem, „ et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae cen- „ sus suos deferunt, sicut Smyrnaeorum ecclesia Polycarpum „ ab Iohanne conlocatum refert, sicut Romanorum Clemen- „ tem a Petro ordinatum itidem, perinde utique et ceterae „ exhibent, quos ab apostolis in episcopatu constitutos apo- „ stolici seminis traduces habeant. „ *Et cap.* CXXVI. *pag. 215.* „ Age iam qui voles curiositatem melius exercere in nego- „ tio salutis tuae. Percurre ecclesias apostolicas, apud quas „ ipsae adhuc cathedrae apostolorum suis locis praesident, „ apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur so- „ nantes vocem, et repraesentantes faciem uniuscuiusque. „ Proxima est tibi Achaia? Habes Corinthum. Si non longe „ es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. „ Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem „ Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque aucto- „ ritas praesto est. Ista quam felix ecclesia, cui totam do- „ ctrinam apostoli suo sanguine profuderunt. Ubi Petrus „ passioni dominicae adaequatur, ubi Paulus Iohannis exitu „ coronatur; ubi apostolus Iohannes posteaquam in oleum „ igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.„

(58) *Ab Andronico, et Iunia.* Hos nobis primos religionis christianae propagatores in urbe Spanhemius obiicit *cap.* II. §. XI. *pag. 36.* „ Erant, *inquit*, in romana ecclesia „ professi christianam fidem Andronicus, et Iunius, qui „ ante Paulum γεγονότες ἐν Χριστῷ, id est calculo Baroniano „ ante annum a passione II., Tiberii XX., revera ante Caii „ Caligulae ultimum, quo conversus est Paulus. Quo tem- „ pore si iam Romam illatum fuit Christi nomen, non „ utique per Petrum agentem tum in Palaestina etc.„ Ita is, quae a nemine dicta, scriptave umquam fuerint, probat: quae vero dicta, scripta, posterorum memoriae commendata a discipulis apostolorum, a viris doctissimis, ac sanctissimis, a diligentissimis, antiquissimisque historicis

sunt, longa verbornm circuitione explicanda, contorquenda, extenuanda, reiicienda, neganda censet, modo ne Petrus venisse Romam videatur. Et hunc tamen sycophantam omnia turbantem, atque miscentem Bandurius in *Luc. Caecil. c.* II. *lib. de mort. persecut. pag. 556. tom.* II. *edit. paris. an. 1748.* consulendum statuit, una cum Salmasii opere de primatu papae, si veritatem quisquam *penitus* perscrutari velit. Sed ubi est veritas? In commentis credo innumerabilibus, inque inanibus coniecturis, quae nullo teste, nullo vetere monumento, nulla gravi coniectura nituntur. Atque Andronicum, et Iuniam (Iunium fecit Spanhemius contra fidem codicum mss.) γεγονότας ἐν Χριστῷ nominat. At Iuniam Chrysostomus mulierem dicit fuisse, *hom.* XXXI. *n.* II. *p. 747. t.* IX. *opp.* Hos vero christianos factos non modo triennio ante ultimum Caligulae annum, sed iam etiam usque a Tiberii temporibus, facile equidem patior: ἐπισήμους quoque ἐν τοῖς ἀποστόλοις *nobiles in apostolis* non patior solum, sed etiam libens concedo: venisse autem eos ante Petrum Romam, id vero est, quod mihi demonstrari scripturarum, quas noster hic Aristarchus iactat, nec sequitur, aut veterum saltem auctoritate volo. Nam ex verbis Pauli XVI. *c. ep. ad Rom. v. 7.* οἳ καὶ πρὸ ἐμοῦ γεγόνασιν ἐν Χριστῷ *qui et ante me fuerunt in Christo,* descendere quisquam ad Andronici, Iuniaeque *conversionem* in annum aliquem Tiberii, aut in annum II. ante postremum Caligulae coniiciendam fortasse potest; a *conversione* autem ad adventum eorum, praedicationemque ante Petrum in urbem Romam, qua demum confidentia, quibusque argumentis potest? Praecipitare isthuc quidem est, non descendere. Paulus namque factos illos ante se christianos affirmat; statim vero atque Christo dederunt nomen, in urbem fuisse profectos, non item. Immo vero cum συναιχμαλώτους *concaptivos* eosdem appellet suos, dilucide sane, perspicueque demonstrat, eos aliquamdiu in oriente constitisse, ut una capi cum cognato Paulo, plectique caussa religionis possent. Alioqui dici commode nequiret, eos πολλῶν αὐτῷ

κεκοινωνηκέναι κινδύνων *consortes ipsi multorum periculorum fuisse.* Vide Chrysost. *ibid.* Atque hoc sensu Paulus *in epistol. ad Coloss. c.* IV. *v. 10.* ἀσπάζεται, *inquit,* ὑμᾶς Ἀρίσταρχος ὁ συναιχμάλωτός μου. *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus. Concaptivum* enim vocat, quocum una simul aliquid acceperat calamitatis. Neque enim *concaptivum* licet proprie dicere, qui longe cum distet, tum aliquid perpessus fuerit mali. Nisi forte velimus omnes, qui tum erant, aut plerosque saltem christianos concaptivos fuisse Pauli, quod nulli fere essent, qui saepe *non inter medios versarentur hostes, hastasque viderent, et acutos gladios, acresque pugnas,* ut inquit Chrysostomus explicans quod illud fuerit genus captivitatis Pauli, *ibid.* Ac nisi ita res esset, cur hos solum *concaptivos* Paulus appellavisset, non Aquilam, et Priscillam, qui pro *anima Pauli suam ipsorum cervicem posuerunt? Cap.* XVI. *epistol. ad Rom. v. 4.* Hos namque συνεργοὺς ἐν Χριστῷ *cooperatores* suos in Christo appellat, quod simul cum ipso laborassent; quod autem non una capti essent, συναιχμαλώτους *concaptivos* minime appellat. Cur vero Tryphaenam, et Tryphosam κοπιώσας, laborantes in Domino vocat, συγκοπιώσας *collaborantes* non vocat? *Ibid. v. 2.* Cum igitur nulla ratio sit, cur Andronicum, Iuniamque ante Petrum Romam venisse statuendum sit; contra vero tot gravissimorum, antiquissimorum, diligentissimorum et patrum et historicorum auctoritate liqueat primum omnium fuisse Petrum, qui religionem christianam in urbem intulerit, quid est, quod hunc Spanhemius, aut non venisse omnino, aut si venit, post Andronicum, Iuniamque Christi nomen in urbe praedicasse putet? Basnagius, qui longe hoc cautior fuit, a quo primum iacta Romae religionis fundamenta fuerint, definiri nullo modo posse arbitratur. *Ad an.* XLII. *n.* XI. *pag. 515.* Scilicet etsi Petrum Romam venisse concedit, tamen quod protestantes solent, contra veterum fidem, negandam et inlati in urbem nominis christiani gloriam putat, ne omnia catholicis dedisse videatur. Confer Fogginium *exercit.* V. *pag. 88. seq.*

(59) Tertullianus *Apologet. c.* v. *p. 21. seqq. ed. Havere. an. 1774.* « Tiberius ergo cuius tempore nomen christianum » in saeculum introivit, annunciata sibi ex Syria Palaestina, » quae illic veritatem istius divini declarant, detulit ad se- » natum cum praerogativa suffragii sui. Senatus quia non in » se probaverat, respuit. Caesar in sententia mansit commi- » natus periculum accusatoribus christianorum. » *Cap.* xxi. *pag. 78.* « Ea omnia super Christo Pilatus, et ipse iam pro » sua conscientia christianus, Caesari tum Tiberio nunciavit. » Sed et Caesares credidissent super Christo, si aut Caesa- » res non essent saeculo necessarii, aut si et christiani po- » tuissent esse Caesares. Discipuli quoque diffusi per orbem » ex praecepto magistri Dei paruerunt, qui et ipsi a Iudaeis » insequentibus multa perpessi, utique pro fiducia veritatis » libenter Romae postremo per Neronis saevitiam sangui- » nem christianum seminaverunt. » Descripserunt locum prio- rem Eusebius *lib.* II. *hist. cap.* II. *pag. 41. sq. edit. Taurin.*, et Orosius *l.* VII. *hist. c.* IV. *pag. 460. seq. edit. an. 1738.* Negavit factum Tanaquillus Faber calvinianus *ep.* XII. *l.* II. *pag. 32. sq. edit. Salmur. an. 1665. p.* II. Ab eo autem non admodum dissident Havercampius in *not. ad eumd. Tertull.*, *loc. p. 21. n.* I., et Samuel Basnagius *ad an.* XXIII. *n.* CXCII. *pag. 433. sq.* Contra, factum defendunt praeter ceteros Baronius ad *an.* XXXIV. *num.* CCXXIV. *sq.*, Huetius *demonstr. evang. prop.* III. *num.* XXII. *pag. 43. edit. Lips. an. 1722.*, Tillemontius in *vit. Petr. art.* XIX. *pag. 62. sq.*, *et not.* XVI. *sq. tom* I. *mon. hist. eccl. edit. Bruxell.*, Fogginius *ibid. pag. 95. sq.*, et e Protestantibus Pearsonus *lect.* IV. *in acta num.* XIV. *pag. 63. sq. edit. Londin. opp. posthum. an. 1688.*, adnotatores ad *cap.* II. *libri* II. *hist. eccl. Euseb. p. 713. edit. Taurin.*, Theod. Hasaeus *lib. singul. de decreto Tiberii, quo Christum referre voluit in numerum Deorum, edit. Erfurt. an. 1715.*, et auctor *dissert. gallicae* de hoc eodem argumento, quae extat *tom.* XXII. *biblioth. germ. pag. 117.*, *et tom.* XXIII. *pag. 13.* Mitto ceteros, ne sim longus.

(60) Basnagius ad *an.* XLII. *n.* XI. *p. 521.* Si Tertulliano,

inquit, credimus, regnante Tiberio, Romae Christi discipuli *fuerunt*. Udalricus Velenus, qui Villelmum magistrum Wiclefi sequutus (confer Thomam Waldensem *lib.* II. *art.* I. *cap.* VII. *pag. 81. edit. an. 1532. tom.* I.), Petrum Romam venisse negavit *lib. supra indic. p. 12.* apud Goldastum *tom.* III. *monarch. edit. an. 1617.*, praeter Tertullianum, Orosium etiam suae de christianis sub Tiberio consistentibus opinionis testem vocat. Ab iis autem non omnino dissentit Spanhemius *ibid. num.* VIII. *pag. 36.*

(61) Confer modo descriptum Tertulliani locum. Ad Orosium quod attinet, adeat illius, quod paullo ante addiximus, testimonium lector, perspicietque, ante Petri in Urbem adventum inlatam a nemine Romam fuisse christianam religionem. Quamobrem mirum est, Velenum tanta impudentia esse potuisse, ut auctorem erroris sui appellare renuentem, obluctantemque veterem historicum auderet. Orosio vero consentiunt auctor historiae *arabicor. concilior.*, *quae omnibus orientalium synodicorum editionibus* praefigi solet. Consule Ecchellensem *Eutych. vindic. cap.* XXIV. *pag. 243.*, Salamonem metropolitam Euphratis Misanis Nestorianus *in compendio vitar.* XII. *apostolor. apud eumd. p. 249.*

(62) Constat id quidem ex prioribus *capitibus*, exque *cap.* XV. *Actor. apostolicor.* Nihil enim continent aliud, quam itinera Petri in urbes Iudaeae, proximarumque Iudaeae provinciarum. Itineris autem Petri Antiocheni, cuius Paulus mentionem fecit, in actis iisdem ne vestigium quidem extat. Atque ut intelligant ii, qui silentium nobis opponunt Lucae, quam levi utantur argumento, eloquantur, si possunt, ubinam is evangelistes Titi ut comitis Pauli meminerit, cum itinera Pauli eiusdem persequeretur? Quid ergo? Negabunt socium fuisse Pauli interdum Titum? Minime vero. Confer *epist. Pauli* II. *ad Corinth. cap.* II. *v. 12.*, *cap.* VII. *v. 6. 13. sq.*, *c.* VIII. *v. 5. 16. et v. 23.*, ubi *socium suum* appellat Titum, et c. XII. *v. 18.*, *et ad Galat.* II. *v.* I. ubi, *post quatuordecim annos sese ascendisse Hierosolymam cum Barnaba, assumto Tito*, affirmat, et *v. 3.* quo loco negat fuisse circumcisum

Titum, qui cum ipso tunc erat Paulo. *Et ep. ad Titum cap.* I. *v. 4. sq.* Quid est igitur, quod silentio Lucae confici ab se rem omnem adversus iter Petri romanum existiment?

(63) Origenes, apud Eusebium *lib.* III. *hist. eccl. cap.* I. *pag. 79. edit. taurin.* Πέτρος, inquit, ἐν Πόντῳ, καὶ Γαλατίᾳ, καὶ Βιθυνίᾳ, Καππαδοκίᾳ τε καὶ Ἀσίᾳ κεκηρυκέναι τοῖς ἐν διασπορᾷ Ἰουδαίοις ἔοικεν, ὃς καὶ ἐπὶ τέλει ἐν Ῥώμῃ γενόμενος ἀνεσκολοπίσθη κατὰ κεφαλῆς. οὕτως αὐτὸς ἀξιώσας παθεῖν. « Petrus » in Ponto, et Galatia, et Bithynia, Cappadocia, et Asia » praedicavit Iudaeis qui in dispersione erant. Qui demum » Romae existens (vel *Romam veniens*), cruci affixus fuit, » capite deorsum verso, cum ipse sic petiisset pati. » Erunt fortasse, qui omnia consectati, hoc item Origenis loco abutantur, pugnentque extremis Neronis temporibus Petrum sese contulisse Romam, quod *demum*, vel *ad extremum* ἐπὶ τέλει eum venisse Adamantius confiteatur. Sed Origeni, qui compendio agebat, satis fuit, tunc illius apostoli adventum Romam commemorare, cum de martyrio narraret, ne saepius de eadem urbe loqui cogeretur. Atque ex Origenis loco nihil concludi contra nos posse, ex Eusebio intelligitur, qui tanti presbyterum illum Alexandrinum facere consuerat, ut sibi ab illius sententiis recedendum non putaret.

(64) Leo Allatius *in confutatione fabulae de Iohanna papissa ex monumentis graecis edit. Coloniae Agrippinae an. 1648.* ex catalogis romanorum pontificum, quos hostes ipsi romanae ecclesiae, ut Photius, aliique laudarunt, sequutique sunt, Iohannam pontificem nullam umquam fuisse ostendit. Eodem sunt functi munere Caesar Baronius S. R. E. Cardinalis vir maximus *ad. an.* DCCCLIII. *n.* LVI., Onuphrius Panvinius *in vit. Rom. Pont. edit. an. 1572. pag. 103. seq.*, Petrus Lambecius *bibl. vindob. l.* II. *c.* VIII. *pag. 861. tom.* II. *edit. an. 1669.*, Philippus Labbeus *cenotaph. Iohann. papissae tom.* VIII. *concilior. pag. 154. edit. Paris.*, Antonius Pagius *in critica Baroniana ad an.* DCCCLIII. *n.* XIV., Franciscus Pagius *Breviar. Rom. Pontif. pag. 72. sq. tom.* II. *edit. Antuerp. an. 1717.*, Natalis Alexander *hist. eccles. sae-*

cul. IX. *dissert.* III. *edit. Lucens. an. 1751. tom.* VI. *pag. 263. seq.*, Florimundus Remundus, eiusque filius Carolus Remundus *de error. popular. seu fabula Iohannae papissae edit. Colon. an. 1618.*, et postremo Iosephus Garampius comes, et canonicus Basilicae Vaticanae, et tabularii Vaticani custos, quo ego discipulo olim meo, nunc amico gloriari merito possum, et vero debeo, in copiosissima, gravissimaque de nummo argenteo Benedicti III. *dissertatione edit. Rom. an. 1748*, qua Claudii Salmasii, Samuelis Maresii *(Ioh. papissae restit. edit. Norimb. an. 1658.)*, Friderici Spanhemii *(de Iohan. papiss. dissert.)*, Iacobi Lenfantii *(praefat. de la histoir. de la papesse Jeanne fidèlement tirée de la diss. latine de monsieur Spanheim tom.* II. *edit. Hagae an. 1736.)*, Wangenseilii *(dissert. pro Iohann. papiss. tom.* I. *amoenit. litterar. Schelhorn. pag. 111.)*, aliorumque factionis eiusdem scriptorum inventa, inanesque coniectationes accuratissime refellit. Is extremo saeculo XIII. primum eam fabulam fuisse excogitatam putat. Non enim viderat Stephani Borbonii, qui paullo post medium saeculum XIII. floruit, fragmenta quaedam, quae Echardus *tom.* I. *scriptor. ordinis praedic.* descripsit *pag. 194. et p. 367. edit. Paris. an. 1719.* Sed parvi refert, medio ne, an extremo XIII. saeculo ea nata fuerit fabula. Argumenta enim, quibus eam doctissimus pontifex Benedictus XIV. *lib.* III. *cap.* X. *num. 3. seq. de serv. Dei beatif. etc. tom.* III. *opp. p. 102. sq. edit. Rom. an. 1748.*, Garampiusque reiiciunt, tam solida, tamque perspicua sunt, nihil ut contra afferri ab haereticis possit, quod accedere ad veritatis similitudinem videatur. Quod si David Blondellus, *anaerys. famosae quaest. de Iohanna papissa edit. Amstel. an. 1657.*, Leibnitius apud I. G. Echardum *rer. franc. oriental. lib.* XXX. *c.* CXIX., ut est apud Garampium *ibid.*, et Brownius *error. popular. lib.* VII. *cap.* XVII. *pag. 415. edit. an. 1737.*, etsi nummum Benedicti III. non viderant, tamen coacti momentis rationum ab Allatio, Baronio, Labbeo adducti sunt, ut quidquid scriptum pro Iohanna papissa est, id tum esse commenticium faterentur; quid nunc viso Be-

nedicti III. nummo dicerent? Sed haec fusius fortasse, quam necesso erat.

(65) Nisi enim Iudaei Romae sub Claudio fuissent, qui demum edicto eius imperatoris iidem *impulsore*, ut Svetonius, quod supra vidimus, scribit, *Chresto*, eiecti ex urbe fuissent? Confer *act. apost. cap.* XVIII. *v.* 2. Διὰ τὸ διατεταχέναι Κλαύδιον χωρίζεσθαι πάντας τοὺς Ἰουδαίους ἐκ τῆς Ῥώμης. *Propter ordinasse Claudium discederé omnes Iudaeos a Roma etc.* vulgata sic habet: *eo quod praecepisset Claudius discedere omnes Iudaeos a Roma.* Vide Baronium *ad an.* XLIII. *n.* XIII., *an.* LI. *et n.* I., et Tillemontium *in vit. S. Petri art.* XXXI. *pag. 75. tom.* I. *memoir. histor. eccl. edit. bruxell.*, et ex Protestantibus Pearsonum, qui *dissert.* I. *de success. primor. episcopor. in Gen. cap.* VIII. §. II. *pag. 46. seq. edit. Londin. an. 1687.*, multis evincit Iudaeos Claudii, superiorumque Caesarum aetate perplures fuisse Romae. Ex libro autem LX. Dionis *pag. 669. edit. an. 1606.* de initiis imperii Claudii agentis, haec affert verba: Τούς τε Ἰουδαίους πλεονάσαντας αὖθις, ὥστε χαλεπῶς ἂν ἄνευ ταραχῆς, ὑπὸ τοῦ ὄχλου σφῶν τῆς πόλεως εἰρχθῆναι, οὐκ ἐξήλασε μέν, τῷ δὲ πατρίῳ νόμῳ βίῳ χρωμένους ἐκέλευσε μὴ συναθροίζεσθαι. « Quum Iudaei adeo » iterum multiplicati essent, ut difficulter sine tumultu pro- » pter multitudinem urbe possent arceri, non eiecit quidem » eos, patriis tamen legibus vitam tolerantes vetuit con- » venire. »

(66) Salmasius in *appar. ad lib. de prim. papae pag. 14*, capite secundo epistolae Pauli ad Galatas *v. 7. seq.* abutitur, ut ostendat Petrum Romam non venisse praedicatum ethnicis evangelium. Sed is Hieronymi in cap. idem epistolae Pauli locum non animadvertit, qui sic habet, *tom.* VI. *opp. part.* I. *edit. Paris. Martianaei pag. 241.* « Occulta hic oritur » quaestio. Quid igitur? Petrus si invenisset ex gentibus, » non eos adducebat ad fidem? Aut Paulus si ex circumci- » sione aliquos reperisset, non eos ad Christi baptismum » provocabat? Quae ita solvetur: ut dicamus principale » singulis in Iudaeos, et gentes fuisse mandatum, ut qui

„ defendebant legem, haberent quem sequerentur: qui legi „ gratiam praeferebant, non deesset eis doctor, et praevius. „ In commune vero hoc eos habuisse propositi, ut Christo „ ex cunctis gentibus ecclesiam congregarent. Legimus enim „ et a sancto Petro gentilem baptizatum fuisse Cornelium, „ et a Paulo in synagoga Iudaeorum Christum saepissime „ praedicatum. „ Quod si eo epistolae ad Galatas capite quidquam se contra iter Petri romanum agentem Salmasius proficere speret posse, caveat, ne Paulum, qui apostolatum gentium consequutus esset, numquam Iudaeis praedicasse confiteatur, negareque cogatur auctoritatem Lucae, *act.* XIV. *1.*, XVIII. *4.* Petrus quidem *act.* XV. *v. 7.* de se ipso loquens, „ Viri, *inquit*, fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum evangelii, et credere. „

(67) Petrum, antequam Romam profectus esset, Antiochiam venisse, ecclesiamque constituisse Antiochenorum, functumque in ea episcopi munere fuisse, traditum ab antiquis patribus est, quorum auctoritatem sine ratione, documentisque contemni non patiar. Confer Eusebium *lib.* III. *hist. eccl. cap.* XXXVI. *p. 106. edit. paris. an. 1659.*, scriptoresque ceteros, quos laudant Nicolaus Sanderus *de monarch. eccl. lib.* VII. *p. 242. edit. Lovan. an. 1571.*, Baronius *ad an.* XXXIX. *num.* IX. *seq.*, Tillemontius *vit. s. Petri art.* XXVII. *pag. 169. t.* I. *mem. hist. eccl. edit. Paris. an. 1693* , Leo Allatius *de eccl. occid. et orient. perpet. consens. lib.* I. *cap.* II. *num. 3. p. 9. seqq. edit. Colon. an. 1648.*, Bollandiani *tom.* III. *mens. febr. ad d.* XXII. *pag. 282. seq. edit. Antuerp.*, *et tom.* II. *mensis iulii tract. histor. chronolog. de patriarchis antiochenis pag. 1. seqq.*, Schelestratius *tom.* II. *antiq. eccles. dissert.* V. *cap.* I. *pag. 317. edit. Rom. an. 1697.*, Bencinius, atque Blanchinius *ad t.* II. *Anastas. de vit. pontif. p. 5. seqq. edit. Rom. Salvioni*, Fogginius *de rom. divi Petri itiner. et apost. exercit.* IX. *pag. 156. seqq. edit. florent. an. 1741.*, et e Protestantibus Hammondus *dissert.* V. *de episcopis cap.* I. §. XVII. *p. 258.* Samuel Basnagius homo de secta Calviniano-

rum antiochenum episcopatum Petri commentum esse, et ex recognitionibus Clementis profectum putat, *ad an.* XL. *n.* XX. At hoc ostendere ante debuerat, recognitiones editas fuisse, priusquam Eusebius chronicon, historiamque scripsisset. Ego enim cum eas ab Eusebio praetermitti videam, facile mihi persuadeo, nondum scriptas, publicatasque fuisse, cum historicus ille scriberet. Neque veri esse arbitror simile, rem apocryphis libris, plenisque fabularum contentam ita propagari, constabilirique potuisse, ut patribus, qui libros illos aut vidissent numquam, aut neglexissent, magnopere probaretur. Ioh. Ligtfooti *com. hist. et crit. in act. apostolorum pag. 831.*, et Nicolai Vedelii *lib. de utroque* Petri episcopatu expendere non vacat. Interea, quod Grotius de adventu Petri Romam dicit, hoc ipse repeto: ego veteribus assentior. Sed de episcopatu Petri antiocheno satis dictum est. Quo autem anno constituerit, quamque diu Petrus episcopatum gesserit antiochenum, difficile est existimare. Confer eosdem quos supra nominavi scriptores, qui varias ea de re proponunt sententias, unamque aliquam, quae magis ipsis arrisisset, sequuntur, atque defendunt.

(68) Spanhemius *dissert. histor. de temere credit. Petri in urbem profectione cap.* II. *pag.* 22. *edit. Lugd. Batavor. an. 1679.* scriptores, qui falsum, aut dubium esse iter id Petri existimarunt, numerans, « Eos inter, *inquit*, Claudius » Salmasius... post Ulricum Velenum, Illyricum, Witbake- » rum, Hospinianum, Sutlivium, Paraeum, Sibrandum, et » siqui plures. Sed quid Protestantes induco?... Praeivere » his siquidem I. B. Mantuanus, Michaël Cesenas, Marsilius » Patavinus, Iohannes Aventinus, Iohannes Lelandus, Ca- » rolus Molinaeus. » Iam de Cesenate, de Marsilio, de Molinaeo, de Aventino, de Lelando alias. Indicari autem mihi locum, in quo Mantuanus negarit advenisse in urbem Petrum, volo: At non indicat Spanhemius. Quid? si ne Petrus quidem Zorniusʔ *vol.* II. *opusculor. sacror. edit. Altonaviae an. 1731. pag. 731. cap.* I. *dissert. histor. de natalitiis cathedrae s. Petri* §. IV. Nam is, ita ut fieri a permultis solet,

verba Spanhemii descripsit, non aeque curans, vera ne ille, an falsa tradiderit, modo oppugnasse Baronium videatur. Idem ab Iohanne Wolfio *lect. memorab. centenario* I. *p. 32.*, et Ioh. Hoornbeckio *in exam. seu scholio in constit. Urban. VIII. pro observ. festorum pag. 210.* factum narrare videtur. Laudat item Thomam Ittigium *histor. eccl. saec.* I. *cap.* IV. §. I. *pag. 227.* Sed is Mantuanum non nominat, quamvis pro Patavino Marsilium Ficinum errans nominet. Balens *lib.* I. *art. rom. pag. 19. edit. Lugd. Batav. an. 1615.* hunc in eam, ut putat, sententiam Mantuani ex VI. fastorum libro locum adducit.

« Urbibus assyriis Christi post funera, postque
» In caelum reditus, bis septem dicitur annos
» Impendisse gravi vexans mala numina bello.
» Mox maria ingressus, longaque ambage viarum
» Circumlatus, iter vertit bithynica versus
» Littora, Cappadoces, Galatas, Pontumque peragrans.
» Quotquot erant illo iudaea ab origine regnis,
» Edocuit Christum, veterique retraxit ab usu. »

Sed quae hominis tanta esse audacia potuit, tamque insignis temeritas, et impudentia, ut locum detruncaret, verbaque Mantuani, quae statim sequuntur, iterque Petri romanum demonstrant, omitteret? An nos oculis esse captos existimabat, ut ad fontes adire, resque, ut ab auctoribus expressae essent, perspicere minime possimus? Adsint nunc sycophantae Spanhemius, Zornius, Baleus, et qui sunt ex eadem sentina homines, qui cum res claras, atque perspicuas non videant, videre se quae sunt implicata, atque involuta obscuritate arbitrantur posse, adsint, inquam, cognoscant, animadvertunt, quod ἀμέσως *immediate*, ut aiunt, post ea verba *retraxit ab usu*, Mantuanus scripserit:

« Inde per Aegeum, per Cycladas, Ioniumque,
» Multa mari et terris discrimina passus ad URBEM
» ROMULEAM mundi dominam, rerumque potentem
» VENIT, ubi aeterni IACERET PRIMORDIA REGNI.
» Tum magnus Aeneadas Simon, ipsumque Neronem

» Praestigiis ludens sese iactabat iturum
» Aërium per iter, volucresque aequare volatu.
» Petrus ut a terris sublatum in nubila vidit,
» Submissis genibus multa prece numina flexit,
» Ut rueret. Praeceps igitur quasi plumbea moles
» Cum stridore ruit, fusisque attrita medullis
» Ossa solo haeserunt etc. »

Quin etiam paullo ante sic Mantuanus statuerat:

« Iussit (Nero) Petrum, quo non insignior alter
» Relligione fuit, pedibus sublime levatis
» Ore in humum verso pendere patentibus ulnis,
» Et Paulum rigido iugulum submittere ferro.»

Lib. VI. *fastor. de martyr. ss. Petri et Pauli fol. N. edit. Argentorat. an. 1518.* Abeant nunc Protestantes illi Petri itineris romani oppugnatores, atque ex Mantuani carminibus Petrum neque martyrem obiisse Romae, neque Romam venisse unquam, si possint, efficiant. Nec minus est sublesta Balei fides praesidium ex Hieronymi *lib.* VI. *commentarior. in cap.* XXIII. *Matthaei pag. 112. edit. Martian. Paris. tom.* IV. *part.* I. petentis. Nam Hieronymus cruci quidem affixum Petrum ait, Hierosolymis vero cruci affixum, non item. Alioqui mortuum quoque Hierosolymis dixisset Paulum. Qua re quid fingi potest absurdius? Sunt enim haec sancti doctoris verba: « Alios scribas in lege doctissimos, ex quibus lapi» datus est Stephanus, PAULUS OCCISUS, crucifixus Petrus, » flagellati in actibus apostolorum discipuli. » Quid? si Lyranum quoque sui erroris testem appellet? qui Lyranus, *in cap.* XXII. *Matth. p. 386. tom.* V. *biblior. edit. Lugd. an. 1589. ad verbum crucifigetis*, hoc solum adnotat: *ut Petrum, et Andream fratrem eius, et multos alios.* Id vero non indicat cruci fuisse Hierosolymis affixum Petrum.

(69) Alanus Copus *dialogo* I. *cap.* IV. *pag. 23. et cap.* V. *p. 93. edit. Antuerp. an. 1556.*, Iohannes Roffensis episcopus *Convulsione calumniar. Ulrichi Veleni... quibus Petrum numquam fuisse Romae cavillatur p. 1299. opp. edit. Wineeburg. ann. 1597.*, Thomas Stapletonus *controv.* III. *de primo sub-*

iecto potest. eccl. quaest. II. *art.* I. *seq. pag. 683. seqq. tom.* I. *opp. edit. paris. an. 1620.*, Melchior Canus *lib.* VI. *locor. theolog. c.* VIII. *p. 201. edit. patav. an. 1714.*, Sanderus *de visibili monarch. eccl. lib.* VI. *cap.* X. *p. 217. sq. edit. lovan. an. 1571.* Osii, Victoriae, Vigueri, Nausaei, Contareni, Peresii, Titelmanni, Poli, Rufi, Casalii, Hesselii, Turriani, Moroni, aliorumque testimonia indicantur *ibidem ab Sandero lib.* VII. *p. 582. seqq.* Nicolaus Coeffetau *de monarch. contra M. Anton. de Dom. libros de Republica part.* II. *lib.* IV. *cap.* V. *pag. 419. seq. edit. Paris. an. 1623.*, Cariophylus contra Nilum Thessalonicensem *pag. 55. sq. edit. paris. an. 1626.*, Leo Allatius *l.* I. *de eccles. occid. et orient. consens. cap.* II. *n.* VII. *p. 143. edit. colon. an. 1648.*, Inchofer *epist. ad Leonem Allatium lib. eodem Allatii cap.* VII. *p. 139. seqq.*, Ecchellensis *Eutych. vindic. cap.* XXIV. *seq. pag. 242. seqq. edit. rom. an. 1661.*, Arcudius *de Purgat. pag. 153. seqq.*, etsi id ex instituto non agat, *edit. rom. an. 1637.*, Petavius *lib.* XI. *de doctr. tempor. c.* XIII. *p. 176. tom.* II. *edit. antuerp. an. 1703.*, Natalis Alexander *histor. eccl. saec.* I. *dissert.* XIII. *pag. 147. t.* III. *edit. Lucensis an. 1749.*, Franciscus Arlaeus archiepiscopus Rothomag. *apolog. evang. l.* II. *p. 228. sq. edit. paris. an. 1625.*, Schelestratius *tom.* II. *antiquit. ecclesiast. diss.* III. *pag. 146. seqq. edit. rom. an. 1697.*, Manclerus *de monarch. eccles. lib.* II. *part.* II. *cap.* X. *edit. paris. an. 1622. pag. 319.*, Bacchinius *lett.* V. *contro il Picenino pag. 426. seq. edit. Altoif. an. 1738.*, Orsius *hist. eccles. lib.* I. *n.* XLI. *pag. 65. seqq. edit. rom. an. 1747.*, Fogginius *loc. citat.* Mitto Sirletum, Petronium, Gretserum, Eudemon-Iohannem, Sotos, Marcam, Gottum, Redingum, innumerabilesque alios, qui idem adversus haereticos argumentum tractarunt.

(70) Salomon Deylingius *Observationum sacrar. part.* IV. *exercitatione* VI. §. IV. *pag. 424. edit. Lips. an. 1747.* Is, posteaquam ostendi Christi verbis *pasce oves meas etc.* non posse dixit supremum in ecclesia principatum Petri, mox addidit: « Alia igitur, et validiora argumenta ab adversa» riis adferri debent, si probare volunt, Petrum visibile

„ ecclesiae caput, et Christi Vicarium, et monarcham in his „ terris fuisse. Hoc defuncti labore ulterius ostendere de- „ bent, Petrum fuisse episcopum romanum proprie dictum, „ et per XXV. annos ibi, ut aiunt, sedisse etc.„ Sed Petrum nos quidem caput, ac principem fuisse constitutum demonstravimus et scripturarum auctoritate, et traditione maiorum. Restat alterum. Verum hoc praedico; etsi Petrum romano episcopatu XXV. annis fuisse potitum existimem, Romani tamen episcopi summum in ecclesia principatum ostendi, nisi demonstrato XXV. annorum episcopatu romano Petri, non posse, vehementer nego. Fac enim Romani Pontificis primatus ex episcopatu apostoli eiusdem romano omnino pendeat, an is continuo episcopatus Petri XXV. esse annorum debuit, non septem, aut trium, aut duorum?

(71) Mamach. *Orig. et Antiq. Christian. lib. 4. part. 2. cap. 1. §. 10. pag. 386. not. 1. edit. Rom. an. 1755. sequentem producit locum ex* lib. 3. Carminum contra Marcionem p. 635. edition. opp. Tertullian. Venetae an. 1748.

« Hac cathedra, Petrus qua sederat, ipse locatum
„ Maxima Roma Linum, primum considere iussit,
„ Huius Anacletus successor sorte locatus etc.„

Et paullo post.

« Constabat pietate vigens Ecclesia Romae,
„ Composita a Petro, cuius successor et ipse.
„ Iamque loco nono cathedram suscepit Hyginus,
„ Post hunc deinde Pius, Hermas cui germine fratre
„ Angelicus Pastor.„

(72) Cf. cit. Mamachii opus loco eodem, pag. 391. not. 1. dictae edition. ubi haec refert Tertulliani testimonia ex lib. *de Praescript.* cap. 20. pag. 208. « Apostoli in Orbem profe- „ cti eamdem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulga- „ verunt, et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem „ condiderunt, a quibus traducem fidei, et semina doctrinae „ ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt. *Cap.* XXI. Com- „ municamus cum ecclesiis apostolicis. *Et cap.* XXXII. Edant „ ergo (haeretici) origines ecclesiarum suarum, evolvant or-

» dinem episcoporum suorum ita per successiones ab initio » decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex aposto» lis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perse» veraverit, habuerit auctorem, et antecessorem. Hoc enim » modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt, sicut » Smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Iohanno conlocatum » refert, sicut romanorum Clementem a Petro ordinatum » itidem, perinde utique et ceterae exhibent, quos ab apo» stolis in episcopatu constitutos apostolici seminis tradu» ces habeant. » *Et cap.* CXXVI. *pag. 215.* « Age iam qui vo» les curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae. » Percurro ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc ca» thedrae apostolorum suis locis praesident, apud quas ipse » authenticae litterae eorum recitantur sonantes vocem, et » repraesentantes faciem uniuscuiusque. Proxima est tibi » Achaia? Habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, » habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam » tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae adiaces, habes » Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista » quam felix ecclesia, cui totum doctrinam apostoli suo san» guino profuderunt. Ubi Petrus passioni dominicae adae» quatur, ubi Paulus Iohannis exitu coronatur; ubi aposto» lus Iohannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil » passus est, in insulam relegatur. »

(73) *In dict. oper. Mamach. loc. cit. pag. 394. n. 1. Ubi ait:* Descendo ad Eusebium. Huius summam in historia ecclesiae facultatem fuisse adversarii animadvertunt. Sit ita. Quid tum? Quid? inquiunt. Eusebius in III. *hist. eccl. l. c.* XXI. *p. 98.* scribit hoc modo: Κλήμης τρίτος καὶ αὐτὸς ἐπέχων τῶν τῆδε μετὰ Παῦλον, καὶ Πέτρον ἐπισκοπευσάντων βαθμόν. *Clemens tertius et ipse post Paulum, ac Petrum inter episcopos (eius urbis) promotionis ordine numeratus. Libro autem* IV. *cap. 1. p. 121.* Πέμπτην ἀπὸ Πέτρου, καὶ Παύλου κατάγων διαδοχήν, τὴν ἐπισκοπὴν ἀπολαμβάνει (Ἀλέξανδρος). Quintam a Petro, et Paulo successionem obtinens episcopatum suscipit (Alexander), *et lib.* IV. *cap.* V. *pag. 124.* Ἕβδομος ἀπὸ τῶν ἀπο-

στόλων Τελέσφορος. *Septimus ab apostolis Telesphorus.* Quid igitur? An hinc efficient, Paulum fuisse episcopum romanorum? Mihi vero nihil videtur minus. Nam Eusebii haec fuit ratio, non ut apostolos, qui aliqua in urbe degissent, episcopos eiusdem urbis fuisse; sed ut his verbis: *secundus, vel tertius, vel quartus etc. ab apostolis*, praedicasse apostolos ipsos eadem in urbe ecclesiam amplificasse, episcoposque eidem praefecisse ostenderet. Quae res illustri exemplo demonstrari potest. Quis enim umquam omnes apostolos, qui Hierosolymis versati sunt, episcopos fuisse ecclesiae Hierosolymitanae dixit? Immo vero id vehementer Eusebius negandum putavit, unum Iacobum episcopum fuisse statuens Hierosolymorum *lib.* II. *histor. ecclesiastic. cap.* I. *p.* 42., *et cap.* XXIII. *p.* 76., *et lib.* VII. *cap.* XIX. *pag.* 301. Quod si *ibid. p. eadem* Hegesippum sequutus διαδέχεται τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν ἀποστόλων ὁ ἀδελφὸς τοῦ Κυρίου Ἰάκωβος *suscipit ecclesiam cum apostolis frater Domini Iacobus*, scripsit, neque ipse tamen, neque alius quisquam haec ita intellexit, ut ante Iacobum, vel cum Iacobo episcopos Hierosolymitanos fuisse apostolos arbitraretur. Alioqui non probasset ille Clementis locum aientis electum Iacobum ab apostolis post ascensum Christi fuisse episcopum Hierosolymorum. Nihilo secius Eusebius *lib.* IV. *hist. eccl. cap.* V. *p.* 121. Τοσοῦτοι, inquit, καὶ οἱ ἐπὶ τῆς Ἱεροσολύμων πόλεως ἐπίσκοποι ἀπὸ τῶν ἀποστόλων εἰς τὸν δηλούμενον διαγενόμενοι χρόνον, *tanti et in Hierosolymorum urbe episcopi ab apostolis usque ad designatum tempus facti. Et lib.* V. *cap.* XII. *pag.* 191. Νάρκισσος τριακοστὸς ἀπὸ τῶν ἀποστόλων... γεγενημένος, *Narcissus tricesimus ab apostolis (episcopus Hierosolymorum) creatus.* Quin etiam Hieronymus *in catal. scriptor. eccles. pag.* 101. *tom.* IV. *opp. edit. Martianaei* « suscepit, *inquit*, ecclesiam Hierosolymae » *post apostolos Iacobus.* » Quae cum ita sint, sequatur necesse est, ut neque τὸ *post apostolos*, neque τὸ *ab apostolis* indicium esse episcopatus Hierosolymitani apostolorum possit; cum et patres, et scriptores novi, et ipsi adversarii facile concedant, apostolorum, praeter Iacobum, neminem fuis-

so umquam eo episcopatu potitum. Quare si Eusebius aut *post Petrum et Paulum, aut ab apostolis tertium* vel *sextum* fuisse aliquem episcopum romanum narrat, consequens inde non est, utrumque apostolum Romanae ecclesiae fuisse episcopum. Ceterum Eusebius in chronico, etsi Petrum, Paulumque Neronis iussu martyrium una fuisse passos testatur, mox tamen uter eorum episcopatu romano potitus fuisset indicans, misso Paulo, solum Petrum commemorat. Scribit enim hoc modo *pag. 206. edition. an. 1658.* Πέτρος, καὶ Παῦλος οἱ θειότατοι ἀπόστολοι τῷ ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυρήσαντες κατεστεύθησαν ἀγῶνι...... τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας πρῶτος ἐπίσκοπος μετὰ Πέτρον τὸν κορυφαῖον Λίνος. « Petrus » et Paulus divinissimi apostoli testimonium pro Christo » exhibentes in eo certamine coronati sunt...... Primus » post coryphaeum Petrum Romanorum ecclesiae episcopus » Linus. » Cur non etiam Paulum commemorasset, si una cum Petro putasset episcopum fuisse eiusdem ecclesiae? Eadem habet *lib.* III. *eccles. cap.* IV. *pag. 82.* Est autem inepta adversariorum responsio, qui Eusebium aiunt, post verba in eodem *cap.* IV. usurpata *primus post Petrum,* haec statim addere: *ut supra iam diximus.* Quid enim dixerat, quod nobis opponatur? Nam hoc unum habet *lib. eod. cap.* III. *pag. 79.* Τῆς δὲ Ῥωμαίων ἐκκλησίας μετὰ τοῦ Παύλου, καὶ Πέτρου μαρτυρίαν, πρῶτος κληροῦται τὴν ἐπισκοπὴν Λίνος. *Post Pauli, ac Petri martyrium primus sortitur Romanorum episcopatum Linus.* Sed martyrium episcopatus indicium non est. Contra vero *cap.* IV. modo indicato, etsi Paulum meminisse Lini scribit, addit tamen continuo, Linum post Petrum adeptum fuisse episcopatum. *Linus,* inquit, *quem* (Paulus) *in secunda epistola ad Timotheum Romae secum versari testatur, primus post Petrum, ut supra iam diximus, episcopatum ecclesiae Romanae adeptus est.* Annon haec similia sunt eorum, quae de Anniano Eusebius in II. *hist. eccl. libro cap.* XXIV. *pag. 75.* confirmat, ex quibus intelligitur, Marcum fuisse episcopum Alexandrinorum? Πρῶτος μετὰ Μάρκον *primus post Marcum apostolum, et evangelistam Alexandrinae ecclesiae admini-*

strationem suscepit Annianus. Confer Valesium *not. ad hist. ecclcs. Eusebii lib.* III. *cap.* XXI. *pag. 98. edit. eiusd.*

(74) *Orig. et Antiq. Christ. tom.* V. *p. 386. edit. 1755.* Sunt autem catalogus LIBERIANUS editus ab Aegidio Bucherio Soc. Iesu *Comment. in Canon. Paschal. Victor. p. 269. edit. Antuerp. an. 1634.* de quo cf. Henschenium tom. 1. Act. SS. mens. Aprilis Bollandianos pag. IV. sq. ed. Antuerp. - Franciscum Blanchinum tom. 2. Anastas. Bibl. proleg. opusc. 1. pag. VII. ed. Rom. 1723. et Dissert. Em. a Schelestr. ibid. cap. 2. pag. XXIX. sq. — LEONIANUS Basilicae S. Pauli de Picturis vetustis in Basil. S. Pauli via Hostien. agit Blanchinus ibid. p. LXXXVII. seqq. In quibus primo loco est Petri imago, secundo Lini, tertio Cleti etc. — ALIOS CATALOGOS editos a Schelestratio *(tom. 1. Antiq. eccl. edit. Rom. 1692. pag. 611. 625. 626. 633. 644. 650.)*, a Bollandianis *(Papebroch. Propyl. ad Act. SS. mens. Maii Bolland. edit. Antuerp. pag. 11. seq.)* a Blanchiniis (Francisco *pag.* VII. *seqq. tom. 2. Anastas. et* Ioseplio *tom. 4. Anast. ed. Rom. 1735. opusc. 1. pag. 1)*, a Muratorio *(tom. 3. p. 1. et 2. Scriptor. rer. Italicar. ed. Mediol. pag. 1. seq.)*, a Garampio *(Dissert. de Nummo Benedicti III. pag. 161. ed. Rom. an. 1748.)*, ab ceteris, quos inter vide Ioann. Mabillonii *Analect. Vet. pag. 218. edit. an. 1723. et de re dipl. lib. 5. tab. 8. n. 3. pag. 359. ed. an. 1709.*

(75) S. Cyprianus *lib. de Unitate Ecclesiae* §. *3. seq.* « Hoc » eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non » reditur, nec caput quaeritur, nec magistri caelestis doctri» na servatur. Quae si quis consideret, et examinet, tractatu » longo, atque argumentis opus non est. Probatio est ad » fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad » Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es *Petrus, et super » istam petram aedificabo ecclesiam meam, et portae infero» rum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni caelorum, » et quae ligaveris super terram, erunt ligata et in caelis.* » Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: *pasce » oves meas.* Super unum aedificat Ecclesiam suam. Et quam-


» vis apostolis omnibus parem potestatem tribuat, et dicat, » *sicut misit me Pater, et ego mitto vos, accipite Spiritum* » *sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illis, si cui* » *tenueritis tenebuntur*, tamen ut unitatem manifestaret, uni- » tatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctori- » tate disposuit. Hoc erant utique et ceteri apostoli etc., *(ut* » *supra pag. 46.)*. Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, » tenere se fidem credit?... Quam unitatem firmiter tenere, » et vindicare debemus maxime episcopi, qui in ecclesia » praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum, atque » indivisum probemus... Episcopatus unus est, cuius a sin- » gulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, » quae in multitudinem latius incremento fecunditatis ex- » tenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et » rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice funda- » tum, et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numero- » sitas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, » unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a » corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore fran- » ge ramum, fructus germinare non poterit: a fonte praecide » rivum, praecisus arescet. Sic ecclesia Domini luce perfusa » per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen » est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: » ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, » profluentes largitur, rivos latius expandit, unum tamen » caput est, et virgo una, et una mater fecunditatis suc- » cessibus copiosa. »

(76) Optatus *lib. 2. contr. Parmenian. cap. 3.* « *Cathedra* » *una est, et negare non potes scire te in urbe Roma Petro* » *primo cathedram... esse collatam in qua sederat* (*editi ha-* » *bent* sederit) *omnium apostolorum caput Petrus, unde Ce-* » *phas appellatus est: in quo uno* (*editi*, in qua una) *cathe-* » *drae unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri apostoli sin-* » *gulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus, et pec-* » *cator esset, qui contra unam cathedram, alteram sibi collo-* » *caret. Ergo cathedra unica est* (editi *Ergo cathedram*

» *unicam) quae est prima de dotibus, et in ea sedit primus* » *Petrus* (editi *sedit prior Petrus*) *cui successit Linus etc* » Et infra: *Contra portas inferi claves salutares accepisse* » *legimus Petrum principem scilicet nostrum, cui a Christo* » *dictum est:* Tibi dabo claves etc. *Unde est ergo quod cla-* » *ves regni caelorum vobis usurpare contenditis, qui contra* » *cathedram Petri vestris praesumptionibus, et audaciis sacri-* » *lege militatis?* Et infra: *cap.* VI. *pag. 36. Igitur de doti-* » *bus supradictis cathedra est prima, quam probavimus per* » *Petrum nostram esse, quae ducit ad se angelum.* Et infra: » *Vos dico esse abscissos palmites a vite, vos rivum concisum* » *a fonte. Non enim potest origo esse rivus, qui parvus est,* » *et non de se nascitur, aut arbor ramus concisus, cum (ar-* » *bor fundata suis radicibus gaudeat, et ramus) si fuerit exse-* » *ctus, arescat.»* Haec ipsa verba cum retulisset Card. Cusanus lib. 1. *de Concordantia catholica*, statim addidit: « Magna sunt ista documenta, quoniam non est, nisi una » cathedra per descensum succedentium usque in Petrum, » super quem ecclesia fundata consideranda: quoniam cer- » ti sumus, quod portae inferi non praevalebunt adver- » sus eam. Unde ex hoc notandum, quod qui se christia- » num esse fatetur, necessario confiteri habet, connexam » esse cathedram suam ad succedentium cathedrae sancto » Petro, et in societate illius cathedrae per unionem esse, » alioqui christianus non est... Est itaque verum unam esse » cathedram Petri, quoniam cathedra principatum regitivum » significat in ecclesia. »

(77) Cathedrarum eiusmodi exempla sive pictarum, sive marmoribus insculptarum cernere aliqua licet apud Aringhium *lib.* VI. *cap.* XLVIII. *pag. 661. seqq. Rom. subterr. tom.* I., Bottarium, aliosque. Sed de cathedris pontificum, episcoporumque agam alio loco opportune, ac diligentius. Nunc throni episcopalis figuram chalcedonio insculptam, exque museo Bonarrotiano ab Antonio Francisco Gorio viro doctissimo primum *t.* II. *Musei florentini tab.* XCIII. *n. 3.* publicatam, et ab Iohanne Baptista Passerio eruditissimo legation.

urbinat. auditore singulari dissertatione, quae inscribitur ἱερόθρονος, *sive de throno sacro ad Iohannem Bottarium* illustratam, lectori exhibendam putavimus, in qua tamen pro ΙΧΘΥΣ, de qua voce *vol.* I. *huius operis p. 58. seq.* egimus, scriptum ΙΧΥΘ, errore ne, quod magis credo, scalptoris, an consulto, viderint alii. Confer Passerium *ibid. n.* III. *pag. 5.* (Citato autem loco Mamachius refert haec S. Augustini verba ex Oper. de Civit. Dei lib. 18. cap. 23. « Horum graecorum » verborum quae sunt Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ, quod est » latine Iesus Christus Dei Filius Salvator, si primas litte- » ras iungas, erit ἰχθύς idest piscis, in quo nomine intelli- » gitur Christus. ») — Est vero figura.



EXCERPTUM

EX

PETRO FRANCISCO FOGGINIO

DE ROM. D. PETRI ITINERE ET EPISCOPATU
EXERCIT. XVIII.

S. PETRUM MORTUUM ESSE ROMANUM EPISCOPUM.

Non solum quod D. Petrus Romam venerit, et in hac gentium Domina urbe mortuus sit, sed etiam quod Romanam Ecclesiam ad mortem usque tamquam eius peculiaris Episcopus rexerit et gubernaverit, ratum esse debet, et firmum; et hoc ipsum ostendere, huius Exercitationis argumentum erit.

Age vero: quotquot extant Catalogi Romanorum Pontificum seriem exhibentes, nec certe desunt antiquissimi (1), unanimes a D. Petro ini-

(1) Catalogum, quem Bucherius edidit, scriptum esse non dubitant Critici ante Liberii mortem, quam ille nonnisi punctis exprimit. Catalogus ex Cod. Bibl. Christinae Svecorum Reginae ab Henschenio et Papebrochio primo editus tom. 1. Aprilis, multis tamen mendis teste Emm. a Schelstrate in Diss. de Antiquis Rom. Pontificum Catalogis cap. 4. qui Cod. ipsum consuluit, finem facit in Felice IV; qui cum obierit an. aerae Vulgaris 530, haec circa tempora ipsum quoque catalogum exaratum fuisse inter omnes convenit. Porro

*

tium expediunt. Idipsum faciunt, qui eamdem conficiunt seriem, SS. Patres, ut Irenaeus (2), Optatus (3), Augustinus (4), Epiphanius (5): et cum SS. Patribus et Catalogis publicae etiam concinunt Picturae et Inscriptiones, et ne memorem musiva a Nicolao III et Formoso constructa in Basilicis Vaticana, et S. Pauli in via Ostiensi, certe antiquior (6) Romanorum Pontificum series, quae in hac ipsa S. Pauli Basilica est, et suis etiam inscriptionibus distinguitur, Symmachum, atque adeo S. Leonem auctorem agnoscit, quorum uterque quinto Ecclesiae seculo Romanam rexit Ecclesiam. Praeterea Romanus Episcopatus, *et Sedes et Cathedra Petri* vocatur tum a S. Hieronymo, qui postquam *Piscatoris Successorem* alloqui dixerit ad Damasum scribens, ita subdit: *Beatitudini tuae, idest Cathedrae Petri, communione consocior;* tum a D. Augustino, qui in Psalmo contra partem Donati: *Numerate,* inquit, *Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri, et in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte.* Quin-

liber Pontificalis 8. seculo recentior esse nequit; et laudatus Schelstratius multos quoque alios edidit Catalogos certe diu ante 10. seculum descriptos, ut qui desinit in Greg. M. et qui in IoanneVIII. qui in Nicolao I. et qui in Formoso. (V. Schelstr. Antiq. Eccl. tom. 1. pag. 595. 625. 626. 633. ed. Rom. an. 1692.)

(2) Lib. 3. cap. 3.

(3) Lib. 2. contra Parmenianum.

(4) Ep. 165. ad Generosum.

(5) Haeresi 7. al. 27. n. 6.

(6) V. Blanchinium in Proleg. ad tom. 2. Anastasii etc.

immo et ipse S. Cyprianus de Felicissimo et Fortunato schismaticis Africanis sermonem habens ad Cornelium Papam (7) ait: *Navigare audent et ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est etc.;* et alibi (8) Romanum Episcopum creari nihil aliud esse, quam ipsum *Petri locum* obtinere profitetur (9).

Quid? Non solum Romanus Episcopatus *Petri Cathedra* dictus est, sed, ut magis pateat D. Petrum ad mortem usque illum gessisse, et summae potestatis heredes, qui futuri erant Romanae urbis Episcopi, reliquisse, ipsummet Apostoli nomen usurpatum legitur pro Pontifice, longo temporis intervallo, post illum, Romae sedente.

Cotelerius inter cetera, quae edidit, interpretatus est, notisque illustravit Ecclesiae Graecae monumenta, ex Regia Bibliotheca quemdam protulit libellum criminationes multas adversus Ecclesiam Latinam continentem (10) quas inter

(7) Ep. 55. §. 14.

(8) Ep. 52. ad Antonianum.

(9) V. Exercit. 3. pag. 71. *Ubi Fogginius hoc refert S. Cypriani testimonium:* « Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei et Christi eius iudicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis quae tunc adfuit suffragio, et de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est cum LOCUS PETRI et gradus Cathedrae sacerdotalis vacaret. »

(10) V. Cotel. Mon. Gr. tom. 3. pag. 501.

n. 32. haec legitur: *Τὸν Πάπαν οὐ διάδαχον τοῦ ἁγίου Πέτρου, ἀλλὰ τὸν Πέτρον αὐτὸν, καὶ λέγουσι, καὶ πιστεύουσι, καὶ ὑπὲρ τὸν Πέτρον θεοποιοῦσι σχεδὸν· κύριον αὐτὸν Χριστιανότητος ἁπάσης ἀνακηρύττοντες*: *Papam non Sancti Petri successorem, sed Petrum ipsum et dicunt, et credunt, ac fere supra Petrum deificant, Dominum totius Christianitatis proclamantes.*

Quicumque fuerit criminationum istarum auctor, profecto quasi unus ex insipientibus locutús est. Ut praeteream dicere, quam aequum sit, Romanum Pontificem, ubi de sacerdotali auctoritate, et ecclesiastico dominatu loquamur (11) totius Christiani orbis Dominum proclamare, unde a D. Anselmo (12): *Dominus, et Pater totius Ecclesiae in terra peregrinantis* vocatur, et D. Bernardus (13) Eugenio Papae dixit: *Orbe exeundum ei, qui forte volet explorare, quae non ad tuam pertinent curam;* neutiquam sane vitio vertendum est, quod Papa non solum Petri successor dicatur, et credatur, verum etiam Petrus ipse. Cum quicquid honoris, et auctoritatis D. Pe-

(11) Quae et quanta sit Romani Pontificis auctoritas, dixi in meis *Thesibus Historico-Polemicis, in celeberrimam Cleri Gallicani de Ecclesiastica potestate Declarationem*, quas, celebratis de more Anniversariis inferiis Piis manibus Theologorum Florentinae Universitatis publicae oppugnationi proposui, et editae sunt Florentiae an. 1738.

(12) De Incarnat. Verbi cap. 7.

(13) Lib. 3. de Consid. cap. 1.

trus, non ut Apostolus, sed ut Christi Vicarius in terris obtinuit, in illum derivatum sit; quid mirum, si aliquando ipsius Petri nomine appelletur? Gravissimi fecerunt viri, et quidem Latinae Ecclesiae non solum, ut Bernardus Abbas Clarevallensis (14) et Ravennas Episcopus Chrysologus (15) sed etiam Graecae, qualis maximi nominis Theologus Theodorus Studita, qui in Epist. ad Paschalem Papam (16): *Petrum* eum vocat *Petri sedem exornantem.* Πέτρος γὰρ σὺ, τὸν Πέτρου θρόνον κοσμῶν καὶ διέπων. *Petrus enim tu, Petri Sedem exornans et regens.*

Quod vero additur, Romanum Pontificem et supra Petrum a Latinis *deificari,* inauditum plane est, cum Latinorum Ecclesia numquam hoc sibi somniaverit.

Ceterum, si Imperatores, qui Caesaris, et Augusti successores se esse iactant, utriusque nomen sibi vindicant: certe eadem plane ratione etiam Romani Pontifices, qui in Cathedra Romana Petro succedunt, Petri nomine insigniri iure et merito possunt, quamquam nemo illorum, neque dum illud sibi, ut proprium, sumpserit, et tantummodo aliquoties sibi unus et alter ex eis vindicaverit, cum scilicet omnem suam auctori-

(14) Lib. 2. de Consid. cap. 8.

(15) Ep. ad Eutychem, quae refertur in Actis Conc. Chalcedonensis. V. Concil. Labbei etc. tom. 4. col. 802. edit. Venetae.

(16) Lib. 2. Ep. 12. V. Opp. Sirmondi tom. 5.

tatem a Petro ipso excepisse declarare voluit, ut Innocentius I (17), Agatho (18), Stephanus III (19) et Leo Magnus fecere, quorum ultimus in ea, quam suo et Romanae Synodi nomine Pulcheriae Augustae scripsit Epistolam: (20) ὅπερ ἵνα, inquit, κρατήσειε, τῆς δεδοκιμασμένης ἡμῖν πίστεως ἡ εὐσέβεια σὴ ἡ τοῖς καμάτοις ἀεὶ τῆς ἐκκλησίας συνελθοῦσα, τὴν ἡμετέραν ἱκετείαν τῷ φιλανθρωποτάτῳ βασιλεῖ. ἰδικῶς ὡς ἀπὸ τοῦ μακαριωτάτου Πέτρου τοῦ ἀποστόλου τῆς πρεσβείας ἐπιτραπείσης καταξιωσάτω διασαφῆσαι. ὥστε πρὶν τὸν πολεμικὸν τοῦτον καὶ ὀλέθριον πόλεμον εἰς τὴν ἐκκλησίαν κρατῆσαι τοῦ ἀνανεῶσαι τὴν ἀφθονίαν τῆς ἑνότητος τοῦ θεοῦ βοηθοῦντος συγχωρήσει. *Quod ut obtineat, probatissimae nobis fidei pietas tua, quae laboribus Ecclesiae semper concurrit, preces nostras, clementissimo Imperatori specialiter velut a Beatissimo Petro Apostolo legatione commissa, manifestare dignetur, ut priusquam civile hoc, et exitiale bellum intra Ecclesiam convalescat, redintegrandae unitatis copiam, Deo auxiliante, concedat; sciens imperii sui viribus profuturum, quidquid Catholicae libertati benigna ipsius fuerit dispositione collatum.*

Sed illuc unde discessimus revertamur: quod Petrus Romanum Episcopatum gerens obierit,

(17) Ep. ad Conc. Milevitanum.

(18) Ep. ad Constantinum IV.

(19) V. Baron. ad an. 755.

(20) V. Cotel. Mon. Gr. tom. 1. pag. 57. *(Epist. XLV S. Leon. in Edit. Ballerin.)*

nonne ipsa demonstrat Romanae Ecclesiae summa dignitas, atque auctoritas? Quid ceterae omnes Ecclesiae, unanimi consensu, ei semper primatum detulerunt, ut ex appellationibus quocumque Ecclesiae seculo ad eam habitis, et ex innumeris Conciliorum, Patrum, et Principum testimoniis luculentissimis clare patet, nisi ob reverentiam B. Petri, qui illa in sede *Sacerdotii Principatum,* ut verbis Augustae clarissimae feminae utar (21) *decoravit, τὴν ἀρχιερωσύνην ἐκόσμησε?* Haud equidem miror, quod etiam Blondellus a veteribus numquam in dubium revocatum esse fateatur, vel quod Petrus Romanam Ecclesiam rexerit, vel quod Pontifices eidem succedant: de Calvino miror, et plane vehementer, quod cum non se pugnare, Petrum Romae mortuum fuisse dixerit, fuisse tamen Romae Episcopum, praesertim longo tempore, persuaderi non posse inde subdit. Nonne maximus de utraque re SS. Patrum consensus? Sin autem Romae Episcopus Petrus non fuit, cuius itaque urbis Episcopus erat, cum mortuus est? Cur longo tempore Romanam Sedem non tenuit? Illa relicta, quam occupavit? Habent in Ecclesia Romanae Sedis Pontifices, toto terrarum orbe consentiente, primatum: unde hoc illis, si Petro non succedunt?

(21) V. Cotel. Mon. Gr. tom. 1. pag. 61. (Augustae clarissimae feminae. *Videlicet Gallae Placidiae ad Aeliam Pulcheriam Epist. LVIII inter Leoninas in edit. cit.)*

Novi Heterodoxos reponere, etiam de aliis Episcopis praeter Romanum interdum dictum fuisse, Petri Cathedram eos obtinere; praeterea, ceteros Apostolos nullam peculiarem Ecclesiam dignitatis, potestatisque suae heredem fecisse: postremo, Apostoli, et Episcopi munera inter se pugnare; et hac ipsa ratione maxime fidit Basnagius, unde eam non uno in loco audacter repetit (22), plane evidenter demonstrasse sibi suadens I. quod Episcopi populi, et cleri suffragio eligerentur; Apostoli autem non habuerint munus suum vi huius ecclesiasticae electionis, qua constituuntur Episcopi: II. quod Episcopi per tres Episcopos consecrarentur, et nemo Episcopus sit sine ordinatione, quae est impositio manus Episcopalis, et quae tamen non adfuit Apostolis a Christo missis cum omni Ecclesiastica potestate, neque Episcopali excepta: III. quod Apostoli, quae viderant dicerent, Episcoporum autem sit non visa, sed credita mysteria proponere: IV. denique, quod Episcopis peculiaris pars Dominici gregis credita sit, Apostolis autem creditae fuerint omnes gentes. Interea S. Irenaeum non quartum, sed tertium Romanorum Pontificum dixisse S. Clementem, qui in ea Sede Anacletum, cui Linus praecesserat, excepit: S. Ignatium, qui Episcopus erat, in Epistola ad Romanos ingenue fa-

(22) V. Annal. Eccles. ad an. 31. n. 31. ad an. 40. n. 20. ad an. 42. n. 20.

teri, se non praecipere, ut Petrus et Paulus: tandem S. Augustinum veritum esse, ne Petro iniuriam intulerit, quod illum Cypriano comparaverit: *Ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit, illum Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatui praeferendum?*

Respondeo, merito quidem, et optimo iure de omnibus Episcopis dici posse, Petri gradum obtinere; sed ea ratione, qua etiam omnes veteris Legis Doctores in Cathedra Moysis sedere dicebantur: nempe, quod unus Petrus Ecclesiastici Ordinis, et potestatis in omnes Episcopos derivatae, veluti fons, et origo sit, non autem quod Petro Episcopi omnes directe succedant; quod aliqua ratione a Petro Episcopalem auctoritatem acceperint, non autem, quod etiam illius Primatus heredes sint; quod ipsorum auctoritas ad auctoritatem Petri ordinem dicat, non autem quod etiam totam Petri auctoritatem adepti fuerint. Dedit Dominus Apostolis omnibus, et idcirco omnibus etiam Episcopis, claves Regni Caelorum, eas tamen potissimum Petro commendavit, ita ut adhibendi potestatem ab ipso Petro eos quodammodo accipere voluerit, ipsi enim ait: (23) *Et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in*

(23) Matth. 16. v. 19.

caelis: unde Tertullianus: (24) *Etsi,* inquit, *adhuc clausum putas caelum, memento claves eius hic Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse.* Et S. Optatus Milevitanus: (25) *Bono unitatis S. Petrus, cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur, et praeferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni caelorum communicandas ceteris solus accepit.* Cum his concinunt illa S. Leonis: (26) *Transivit quidem etiam in alios Apostolos vis potestatis illius, et ad omnes Ecclesiae Principes Decreti huius constitutio commeavit: sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiae Rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur aequitate iudicium. Nec nimia vel severitas, vel remissio, ubi nihil erat ligatum, nihil solutum, nisi quod B. Petrus aut solverit, aut ligaverit:* et S. Pacianus inquiens: (27) *Ad Petrum locutus est Dominus, ad unum, ut unitatem fundaret in uno, mox id ipsum in commune praecipiens.* Placet etiam D. Augustinum referre ubi scribit: (28) *Has claves non homo unus, sed unitas accepit Ec-*

(24) Scorpiaci cap. 10.

(25) Lib. 1. contra Parmenianum.

(26) Serm. 3. in Anniversario die Assumptionis suae ad Pontificatum.

(27) Ep. 3.

(28) Serm. 293. al. de Diversis. 108.

clesiae. Hinc ergo Petri excellentia praedicatur, quia ipsius universitatis, et unitatis Ecclesiae figuram gessit, quando ei dictum est: Tibi trado, quod omnibus traditum est. Rem et luculentius exponam, sed Theologorum lingua, ut clarior sim, uti liceat.

Sicuti universalis Ecclesia una est, et unum corpus ex singulis particularibus Ecclesiis cum Ecclesia principe, quae unionis origo, et centrum est, coniunctis, atque unitis compositum: ita pariter una tantummodo est in Ecclesia Episcopalis Cathedra, quae ex omnibus constituitur Episcopalibus Cathedris una inter se copulatis per communicationem et societatem, quam unaquaeque habet cum Cathedra principe, unde incipit unitas et terminatur. Igitur sicuti omnes Fideles Christiani in eadem Ecclesia sunt, quod Ecclesiae capiti uniuntur; ita Episcopi omnes in eadem Cathedra sedent, per eam communicationem, et unionem, unde exoritur unitas Cathedrae, et Episcopatus in Ecclesia. Quamobrem, etsi peculiarem etiam Cathedram singuli Episcopi habent, tamen etiam uniuscuiusque peculiaris Cathedrae ceteri omnes Episcopi participes sunt, quod unaquaeque illarum eius Cathedrae pars sit, quae una est in Ecclesia: et quia in hoc, ut ita dicam, Cathedrarum corpore centrum et caput est Romana Cathedra, quam Petrus Ecclesiae caput constituit; hinc non solum ipsa Romana Cathedra, sed reliquae etiam peculiares Cathedrae,

Petri Cathedrae appellatae sunt, quamvis illarum Episcopi peculiarem Petri Cathedram, quae est Romana, minime teneant, sicuti neque Romanus Episcopus Cathedram illorum, unoquoque peculiarem Cathedram suam tenente, veluti partem, non Romanae Cathedrae, sed Cathedrae illius, quae ex Romana Cathedra, ut omnium Principe, et ex ceteris omnibus Cathedris per societatem, communicationem, et subiectionem ipsi Romanae Cathedrae unitis, constituitur. Apposite S. Cyprianus (29): *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam. Tibi dabo claves regni caelorum etc. Et post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat: sicut misit me Pater, et ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum etc. tamen, ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, et unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti honoris, et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, et Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et Cathedra una monstretur.* Et inferius: *Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quae*

(29) In Lib. de Unitate Ecclesiae etc.

in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur, quomodo solis multi radii, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum; fructus germinare non poterit. A fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit profluentes largiter rivos latius expandit: unum tamen caput est, et origo una, et una mater fecunditatis successibus copiosa. Multis etiam aliis in locis eadem docet S. Cyprianus, sed satis sit addere, quae habet Ep. 40. in qua ita scribit: *Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et Cathedra una super Petrum, Domini voce, fundata.*

Venio nunc ad alteram obiectionem, et in primis animadverto, quod plures erant in Apostolis dotes, ac praerogativae, et ex eis multas nec ipsum Petrum relinquere potuisse. Ceterum dignitatem Episcopalem, certe in eos omnes derivarunt, quos crearunt Episcopos; unde Episcopi omnes eorum successores iure et merito appellantur; semetipsos autem nullius peculiaris urbis

Episcopatui addixerunt, quod etiam illis, quos habuissent in regimine alicuius peculiaris loci successores, maiorem relinquere non potuerint potestatem, quam ceteris, quos creabant Episcopos, impertiebantur. At vero Petrus, cum praeter Episcopalem potestatem, quam, ut ceteri Apostoli, in eos omnes derivabat, quos creabat Episcopos, haberet etiam dignitatem Capitis Ecclesiae, quam a Christo acceperat, et dum viveret alii cedere non poterat, alicuius peculiaris loci Episcopatum gereret oportuit, ut nimirum certus non deesset heres singularis illius dignitatis, et ea in Ecclesia perpetuaretur. Ecquis enim dubitet, Dominum I. C. monarchici regiminis formam, quod in Ecclesia, utpote ceteris omnibus praestantius, et ad eius perfectionem, ad naturae humanae statum et conditionem, ad fidem propagandam, ad caritatem, perfectionis vinculum, stabiliendam, ad leges communes sanciendas accommodatissimum, Petro Apostolorum capite, et petra super quam Ecclesiam suam aedificaturus erat, declarato, constituerat, et firmam voluisse, et perpetuam? Si Ecclesiae opus fuit visibili capite, cum pusillus erat grex, cum eius curam habebant Apostoli, et sanctissimi ab Apostolis ipsis electi Episcopi, atque Presbyteri : multo magis futuris temporibus illo erat opus, ne deesset et qui de controversiis iudicaret, et qui Episcoporum discordias componeret, et qui eorum moribus invigilaret, demum, qui corpus Christi mysticum,

quod est Ecclesia, in ea servaret unione, quam saepissime Dominus commendavit (30) et in Ecclesia omnino servandam esse ex eo plane constat, quod illam Sacrae Literae iis semper exprimant similitudinibus, quae unionem indicant perfectissimam, ut corporis, et exercitus ordinati, et regni, et domus, et ovilis. Porro multa sunt, quae ad haec illustranda, et confirmanda dici possunt; sed ne longior sim, contentus ero, hactenus dictis veluti coronidem imponens, S. Cypriani verba describere, qui (31) in Epistola ad Magnum de Novatiano loquens: *Idcirco,* inquit, *Dominus insinuans nobis unitatem de divina auctoritate venientem, ponit et dicit: Ego et pater unum sumus; ad quam unitatem redigens Ecclesiam suam, denuo dicit: et erunt unus grex et unus pastor. Si autem grex unus est, quomodo potest gregi annumerari, qui in numero gregis non est? Aut pastor haberi quomodo potest, qui manente vero pastore, in Ecclesia Dei per ordinationem succedaneam praesidente, nemini succedens, et a se ipse incipiens, alienus fit et profanus, Dominicae pacis, ac Divinae unitatis inimicus?*

Quod vero ad illud, quo, ut dicebam, in primis fidit Basnagius, scilicet pugnare inter se Episcopi, et Apostoli munera, equidem miror id

(30) V. Ioan. cap. 10. v. 16. cap. 11. v. 13. cap. 13. v. 35. cap. 17. v. 11. et 20. etc.

(31) Ep. 76.

Patres non animadvertisse, qui diserte non solum Petro, sed etiam Iacobo peculiaris Urbis Episcopatum adiudicant. De Iacobo ita Hegesippus: (32) Διαδέχεται δὲ τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν ἀποστόλων, ὁ ἀδελφὸς τοῦ κυρίου Ἰάκωβος: *Ecclesiae administrationem una cum Apostolis suscepit Iacobus frater Domini.* Et Clemens Alexandrinus (33) ait: Πέτρον, καὶ Ἰάκωβον, καὶ Ἰωάννην μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ σωτῆρος, ὡς ἂν καὶ ὑπὸ τοῦ κυρίου προτετιμημένους μὴ ἐπιδικάζεσθαι δόξης, ἀλλὰ Ἰάκωβον τὸν δίκαιον ἐπίσκοπον τῶν Ἱεροσολύμων ἑλέσθαι: *Post Servatoris ascensum Petrum, Iacobum, et Ioannem quamvis Dominus ipsos ceteris praetulisset, non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Iacobum cognomine Iustum Hierosolymorum Episcopum elegisse.* Item Eusebius Histor. Ecclesiast. lib. 2. cap. 23. Ἰουδαῖοί γε μὴν τοῦ Παύλου καίσαρα ἐπικαλεσαμένου, ἐπί τε τὴν Ῥωμαίων πόλιν ὑπὸ φήστου παραπεμφθέντος τῆς ἐλπίδος καθ' ἣν ἐξήρτουν αὐτῷ τὴν ἐπιβουλὴν ἀποπεσόντες ἐπὶ Ἰάκωβον τὸν τοῦ κυρίου τρέπονται ἀδελφὸν ᾧ πρὸς τῶν ἀποστόλων ὁ τῆς ἐπισκοπῆς τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐγκεχείριστο θρόνος. *Cum Paulus ad Caesarem provocasset, Romamque a Festo missus esset, Iudaei qui insidias ipsi struxerant spe sua frustrati in Iacobum fratrem Domini, cui Episcopalis Hierosolymorum Sedes ab Apostolis tradita fuerat, rabiem convertunt.* Et lib. 3. cap. 5. ἐπὶ πᾶσί τε

(32) Apud Euseb. lib. 2. c. 23.
(33) Hypotyp. lib. 6. apud Euseb. lib. 2. c. 2.

Ἰακώβου τοῦ τὸν αὐτόθι τῆς ἐπισκοπῆς θρόνον, πρώτου μετὰ τὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἀνάληψιν κεκληρωμένου κτλ. *Et* (Iudaei) *postremo etiam Iacobum illum, qui primus post Ascensionem Domini Episcopalem Ecclesiae illius Sedem obtinuit etc.* Et eiusdem lib. 3. c. 7. Ἰάκωβός τε αὐτὸς ὁ τῆδε πρῶτος ἐπίσκοπος. *Iacobus ipse primus loci illius* (Hierosolymorum) *Episcopus.* Demum lib. 7. cap. 19. Τὸν γὰρ Ἰακώβου θρόνον τοῦ πρώτου τῆς Ἱεροσολύμων ἐκκλησίας τὴν ἐπισκοπὴν πρὸς αὐτοῦ σωτῆρος, καὶ τῶν ἀποστόλων ὑποδεξαμένου κτλ. *Sane et Iacobi illius Cathedram qu primus Hierosolymorum Episcopus ab ipso Servatore, et Apostolis est constitutus etc.* Epiphanius: (34) καὶ πρῶτος οὗτος εἴληφε τὴν καθέδραν τῆς ἐπισκοπῆς ᾧ πεπίστευσε κύριος τὸν θρόνον αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς πρώτῳ: *Ille autem primus cepit Episcopalem Cathedram, cum ei ante ceteros omnes thronum suum in terris Dominus tradidisset.* Chrysostomus: (35) Αὐτὸς γὰρ αὐτὸν λέγεται κεχειροτονηκέναι καὶ ἐπίσκοπον ἐν Ἱεροσολύμοις πεποιηκέναι πρῶτον. *Ipse enim dicitur ei manum imposuisse, et ipsum ordinasse, et Episcopum fecisse Hierosolymis.* Cyrillus Hierosolymitanus: (36) περὶ τούτων οὐκ ἐμοὶ μόνον, ἀλλ᾽ ἤδη καὶ τοῖς Ἀποστόλοις, καὶ Ἰακώβῳ τῷ ταύτης ἐκκλησίας ἐπισκόπῳ σπουδὴ γέγονε: *De his non mihi solum, sed etiam Apostolis, et Iacobo huius*

(34) Haeres. 78. Antidicomar. n. 7.
(35) Hom. 38. in I. Cor. 15.
(36) Catech. 4. n. 17.

Ecclesiae olim Episcopo cura fuit. Et alibi: (37) ἔπειτα Ἰακώβῳ τῷ ἑαυτῷ μὲν ἀδέλφῳ πρώτῳ δὲ τῆς παροικίας ταύτης. *Postea* (visus est) *et a Iacobo fratre suo primo huius parochiae Episcopo.* Hieronymus: (38) *Post Passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus.* Idem: (39) *Hic Iacobus primus Hierosolymorum Episcopus fuit.* Demum Augustinus: (40) *Hierosolymitanam Ecclesiam primus Apostolus Iacobus Episcopatu suo rexit.* Et iterum: (41) *Cathedra Ecclesiae Hierosolymitanae, in qua Iacobus sedit, et in qua hodie Ioannes sedet.*

Sed quid de Petro? Antiochenum Episcopatum ad breve tempus obtinuisse ferunt Hieronymus, Leo M., Chrysostomus, aliique multi, quorum mentionem alias fecimus (42). Et Episcopum Romanum dicunt, praeter illos SS. Patres, quos superius laudavimus, Chrysostomus scribens: (43) Τοῦτον τὸν Λῖνον ἱστοριοῦσί τινες δεύτερον μετὰ τὸν Πέτρον ἐπίσκοπον τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας γεγενῆσθαι. *Hunc Linum aiunt quidam secundum post Petrum Romanae Ecclesiae Episcopum fuisse.* Et Eusebius ubi ait: (44) Λῖνος οὗ μεμνῆται συνόντος ἐπὶ Ῥώ-

(37) Catech. 14. n. 11.
(38) Catal. Script. c. 3.
(39) Comment. in epist. ad Gal. cap. I. v. 19.
(40) Contra Crescon. lib. 2. c. 37.
(41) Contra Liter. Petil. lib. 2. c. 51.
(42) Exercit. 9. pag. 156.
(43) Hom. 10. in 2. ad Timoth.
(44) Lib. 3. c. 4.

μης αὐτῷ κατὰ τὴν δευτέραν πρὸς Τιμόθεον ἐπιστολὴν, πρῶτος μετὰ Πέτρον τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας τὴν ἐπισκοπὴν ἤδη πρότερον κληρωθεὶς δεδήλωται. *Linus , quem in secunda ad Timotheum Epistola* (Paulus) *Romae secum versari testatur, primus post Petrum, ut supra iam diximus, Ecclesiae Romanae Episcopatum adeptus est.* Hieronymus, cuius verba sunt: (45) *Clemens quartus post Petrum Romanus Episcopus fuit, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem.* Tandem Ruffinus (46) qui pariter de Clemente loquens inquit: *Clemens Apostolorum discipulus, qui Romanae Ecclesiae post Apostolos praefuit etc.* ne sexcentos alios recenseam sanctissimos, atque doctissimos Scriptores, qui post seculum Ecclesiae quintum floruerunt. At vero numquid credibile est, tot Patres, prima Ecclesiae lumina, quam sibi fingit Basnagius inter Episcopatum, et Apostolatum pugnantiam, latuisse? At enim, eam urget Basnagius non sine argumentis. Proh Dei atque hominum fidem! Argumentis? Ecquid ineptius inficetiusque, quam velle Apostolos iis legibus obstrictos, quae multo post eorum obitum latae sunt? Ecquid stultius, quid impudens magis, quam docere cleri, et populi suffragio creandos fuisse Episcopos Apostolorum tempore, cum scilicet ipsi Episcopi, quem cura-

(45) Catal. Script. Eccl. ubi de Clemente.

(46) Apud Hieron. 2. pag. 219. tom. 2. pag. 148. in edit. Francof.

rent gregem, sibi comparabant? Numquamne legit sacras Literas Basnagius? Legisset sane, quod Paulus auctoritate sua Episcopos per civitates creabat: legisset, quod idem Paulus, ut Episcopos in urbibus crearent, et Timotheo iussit, et Tito. Itaque Clemens diserte docuit (47) primos Episcopos ab Apostolis institutos fuisse, et ab ipsis Apostolis fuisse sancitum, ut Episcopis, quos ipsi instituerant, tales sufficerentur viri, quos tota Ecclesia probaret. Καὶ οἱ ἀπόστολοι ἡμῶνι ἔγνωσαν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς. διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν πρόγνωσιν εἰληφότες τελείαν, κατέστησαν τοὺς προειρημένους, καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν δεδώκασιν, ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν, διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν· τοὺς οὖν κατασταθέντας ὑπ᾽ ἐκείνων ἢ μεταξὺ ὑφ᾽ ᾽τέρων ἐλλογίμων ἀνδρῶν, συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης. *Apostoli nostri per Iesum Christum cognoverunt contentionem de nomine Episcopatus futuram. Propter hanc itaque caussam perfecta praescientia praediti, constituerunt praedictos, Episcopos nimirum, et deinceps formam dederunt, ut iis defunctis, probati alii viri in eorum ministerium succederent, ab illis, vel deinceps ab aliis celebribus viris constituti, universa Ecclesia sibi gratum esse testante.* Porro, quid sibi vult Basnagius, cum Apostolos ab Episcoporum numero eximens, quod ordinati non fuerint per imposi-

(47) In ep. 1. ad Cor. n. 44.

tionem manus Episcopalis, concedit tamen a Christo plenitudinem Ecclesiasticae potestatis eos accepisse, neque Episcopali excepta? Erantne Episcopi et non Episcopi? Quod si contendit illud unum evincere, quod nullius peculiaris regionis Episcopi esse potuerint, quis locus impositioni manuum? Numquid per manuum impositionem non Episcopalis potestas, sed Episcopalis iurisdictio localis impertitur? Quid? anne Christus Ecclesiae auctor et Dominus, impositione manus Episcopalis, Clero, Christiana plebe minus potuit? Sed illud plane ridiculum est, ex eo probare Apostolos inter Episcopos recenseri non posse, quod horum sit non visa, sed tradita mysteria proponere, illi vero docerent, quae viderant. Profecto nullam, ut video, Basnagius habuit ideam Episcopatus, qui nihil aliud praecipue est, nisi Sacerdotes ceterosque Ecclesiae ministros creandi potestas per sacram ordinationem accepta. Quod vero nullus est alius in Ecclesiastica Hierarchia gradus hoc excellentior, atque praestantior; hinc est quod Episcopi Ecclesiae Principes sunt, quorum singulis peculiaris Dominici gregis pars curae esse debet, quo munere tunc recte eos fungi existimandum est, cum creditum sibi gregem voce et exemplo rectam fidem edocent, et bonos mores. Neque vero Episcopatus cum Apostolatu pugnat, quod in Episcoporum fidem certus Christianorum hominum numerus committitur, Apostolis autem universus terrarum orbis instituen-

dus est traditus; nam subiectorum numerus ad Episcopalem iurisdictionem pertinet, non autem ad Episcopalem potestatem, neque implicat peculiarem curam habere alicuius regionis ratione Episcopatus, generalem autem totius mundi ratione Apostolatus, cum per Vicarios Episcopos potuerint Apostoli, et certam regionem praecipuum in modum curare, ut quidem fecit S. Petrus, teste S. Epiphanio. Quinimmo nonne scimus Apostolos universas orbis terrarum partes inter se distribuisse instituendas? nonne certum est aliquando Petrum Iudaeorum salutem potissimum curasse, Paulum autem Ethnicorum? Quod vero spectat ad D. Irenaeum, neutiquam illud unum dicit, tertium Romae Episcopum fuisse Clementem, sed dicit tertium fuisse ab Apostolis, seu post Apostolos. Si quis diceret Benedictum XIV, qui nunc Romae feliciter sedet, tertium esse Pontificem post Innocentium XIII, numquid negaret Innocentium XIII fuisse Pontificem? Adstruit Irenaeus Episcopatum Romanum Petri, non inficiatur. Porro S. Ignatius erat quidem Episcopus, at non erat Episcopus Romanus, non erat Apostolus, ut erat Petrus. Demum D. Augustinus veretur ne iniuriam Petro afferat illum Cypriano comparans, non quod Episcopum eum extitisse non crediderit, sed quod extiterit Apostolus, et Episcopus Apostolis, et Episcopis omnibus excellentior. Ast ego haud sine molestia Basnagii nugas persequor, et me piget vel haec pauca ad

eas confutandas scripsisse: neque enim ista merentur, ut refellantur rationum momentis, risum merentur, aut lacrimas.

Iam vero adeamus Petraeum, et videamus utrum ille nos impetat validius. Postquam Bellarminum redarguerit (48) quod circulum in argumentando commiserit, modo Petrum Romae obiisse ex summa Romanae Ecclesiae dignitate probans, modo vero ex eo quod Petrus Romae obierit eiusdem Romanae Ecclesiae supra caeteras omnes Ecclesias dignitatem eruens, invehit insolens contra hanc ipsam Ecclesiae Romanae excellentiam, utque ostendat nequaquam a Petro profectam esse, *vi et fraude* eam sibi Romam rapuisse iactat, blasphemiamque suam D. Bernardi verbis confirmat, in lib. de Considerat. Lib. 2. c. 6, ubi Eugenium Papam S. Abbas ita alloquitur: *Esto ut haec tibi alia quavis ratione vindices, non Apostolico more; nec tibi dare Petrus potuit, quod non habuit: quod habuit hoc dedit, sollicitudinem super Ecclesias. Numquid dominatum? audi ipsum: non dominantes, inquit, Cleris (I. Petr. v. 3.). Et ne dictum sola humilitate putes, non veritate, vox Domini est: reges gentium dominantur, vos non sic (Matth. 20. 23. 25.) Planum est: Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, et tibi usurpare aude aut Apostolatum, aut Apostolatus dominatum: plane ab utro-*

(48) In Vita Petri apud Crenium Exercitationum Philologicarum Fasc. 5. pag. 501.

que prohiberis. Neque vero antiquam esse Romanae Ecclesiae excellentiam, putat Petraeus, sed comminiscitur ante Concilium Nicaenum unumquemque sibi vixisse, et parum respectum ad eam habitum esse. Praeterea quaerit, cur illa excellentia a Petro tantum, non autem a Paulo originem ducat, cum Bellarminus ipse fateatur, Romanos Pontifices tam Petrum, quam Paulum Ecclesiae suae auctores agnoscere; et cum reticere se velle dixerit, Irenaeum, Dionysium, et Lucium Papam, Romanorum salutem Paulo aeque ac Petro adiudicare, et ipsos Romanos Pontifices non abhorruisse Pauli successores appellari, denique nos ipsos Paulum Petro inferiorem non fuisse fateri: quod Paulo potius, quam Petro Ecclesiae Romanae origo tribuenda sit, illud ostendere, adfirmat, quod eam post Apostolos Linus, et Clemens administraverint, quorum uterque Pauli discipulus fuit 2. Tim. 4. 21. Phil. 4. 33. *Itaque si Petrus,* ait Haereticus, *melius fuisset meritus, sicque eam fundasset, procul dubio Ecclesiam a se fundatam vel Marco, vel alii discipulo curandam reliquisset.* Coniecturam confirmat animadvertendo Romae in altari, et plumbeo quodam sigillo D. Paulum D. Petro a dextra parte collocatum videri, et tandem ne quid praetermittat, unde suam ostentet eruditionem, et eximiam humanitatem, subdit: *Sed gratificandum est Bellarmino: dabo aliam rationem: propter excellentiam urbis et splendorem, imperiique summitatem*

aliqua prioritas ipsi Ecclesiae Romanae concessa est, ac donata.

Ut eo, quo par est, ordine tot, tamque varia commenta breviter confutem, notandum primo est, nequaquam Bellarminum vitioso circulo uti, cum diversis in locis Petrum Romae sedisse ex Romanae Ecclesiae dignitate, alibi autem dignitatem hanc ab ipsa Petri sessione probet; vitiosus enim circulus est, incertum ex incerto invicem probare, non autem ostendere certa duo se invicem confirmare.

At vero, unde novit Petraeus, vi et fraude Ecclesiam Romanam sibi primatum rapuisse? Quis Romanorum Pontificum edidit primus tantum facinus? Cum strenui semper vigilaverint viri, qui bellum audacter moverunt in quemcumque hominum, dogmata seu ritus novos in Ecclesiam immittere contenderit: quomodo siluerunt, dum Aristocraticum Ecclesiae regimen in Monarchicum immutare tentatum est? Scio, quod, argumenti vim cum bene senserint Heterodoxi, alii Victori istud facinus affinxerunt, alii vero Zosimo, alii Bonifacio I, Caelestino alii, et alii denique Bonifacio III. Sed undenam ista hauserunt, nisi ex ea ipsa, qua debacchantur in SS. Viros insolentia? Mirum! Constantinopolitani Patriarchae Primatum Oecumenicum sibi vindicare moliuntur, neque ulla historia est, quae rem sileat: nulla Ecclesia, quae motus non excitet: nemo, quem lateat, et qui primus, et qui alter,

et qui denique tertius molitus hoc sit: cur nihil horum de Romani Pontificis usurpatione? Paulus Sarpius, homo sub Petri Suavis nomine celebrior, concordiae caussa sponte Episcopos, quam parem habebant auctoritatem uni Episcopo Romano contulisse asserit. Dicat: et hoc unde novit? Quid tantam rem tota silet antiquitas? Numquid leve miraculum, tot Episcopos, quot sunt in universo orbe terrarum, non obstante humanae naturae genio ad imperium proclivi, adeo facile se uni Episcopo subiecisse?

Quod vero addit Petraeus ante Concilium Nicaenum primum parvum respectum habitum esse ad Romanae Sedis excellentiam, et principatum, haud minus falsum est. Primo Ecclesiae seculo ad Clementem Romanum Pontificem appellaverunt Corinthii, et ipse ad eorum schisma componendum responsum dedit luculentissimum, quod adhuc extat. Placet Epistolae verba describere unde constat Corinthios vere ad Clementem provocasse: *Διαγενομένας ἡμῖν συμφορὰς καὶ περιπτώσεις, ἀδελφοί, βράδειον* (al. *βράδιον*) *δυσοίζομεν* (al. *νομίζομεν*) *ἐπιστροφὴν πεποιηκέναι περὶ τῶν ἐπιζητουμένων παρ' ὑμῖν πραγμάτων, ἀγαπητοὶ κτλ. Propter calamitates, et casus adversos, qui nobis acciderunt, fratres dilecti, tardius nos animum adiecisse videmur ad ea, quae a vobis quaesita sunt.*

In quantum autem ad alterum Ecclesiae seculum: quem fugiunt Asiaticae Ecclesiae per Polycarpum sanctissimum Virum, et ipsorum Apo-

stolorum discipulum, ad Anicetum Romanorum Pontificem provocationes: Victoris de Asianis Episcopis, nullo eorum reclamante, iudicium: praeterea Sanctissimi Viri Irenaei legatio, martyrum Lugdunensium nomine, ad Eleutherium Papam habita? Altero Ecclesiae seculo, Irenaeus Romanam Ecclesiam Ecclesiarum maximam dixit, et antiquissimam, omnibusque cognitam: altero Ecclesiae seculo de ea praedicavit Irenaeus: *Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles; in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio.* Ad tertium seculum descendamus.

Africanae Synodus, et Cypriani literae ad Cornelium Papam: Occidentalium Episcoporum legationes ad Stephanum Papam, et eius, in caussa rebaptizationis adhibita, auctoritas: Pentapolitanorum et Dionysii Alexandrini ad Dionysium Papam provocationes: historiae adeo notae sunt, ut hic eas recensere me pigeat. Temporibus autem Nicaeno Concilio propioribus, Deus bone! quem latet Donatistarum caussam ad Melchiadem, et inde ad Sylvestrum delatam esse: et ipsum Nicaenum Concilium eiusdem Sylvestri auctoritate convocatum fuisse, et eodem Sylvestro per legatos suos praeside, celebratum (49)? Turpiter

(49) Concilii Nicaeni Praesides, Sylvestri Rom. Pontificis vices gerentes, fuerunt Osius Episcopus Cordubensis, et

ergo labitur Petraeus, cum ante Nicaenum Concilium, parvum ad Romanam Ecclesiam respectum habitum esse iactat. Nulla exorta est haeresis, de qua non iudicaverit: nullum schisma, quod ipsa non composuerit: nullum, quod ipsa aut non convocaverit, aut non probaverit, Concilium, utpote heres a Petro facta illius auctoritatis, quam ipse a Domino super omnes Apostolos acceperat, et qua fultus Hierosolymitana in Synodo primus controversiam de veteris legis caeremoniis cum nova coniungendis definivit, et primum Gentium Apostolatum indixit: et principem haereticorum Simonem Magum prostravit.

At quid de obiectis S. Bernardi verbis? quid? Mirum plane esse, Bernardum nobis a Petraeo obiectum esse. Quoties enim Romani Pontificis primatum S. Doctor luculentissime non adstruit? Nonne illi controversiarum iudicium, et haereses extinguere tribuit in Epistola ad Innocentium? (50) Nonne alia in Epistola Romanis scripta, illum laedere, omnes Catholicos laedere esse affirmat, non secus, ac laeso capite, cetera quoque membra dolent? (51) Bernardus, non posse in fide errare, praerogativam esse Romani Pontificis docet

Vitus, et Vincentius Romae Presbyteri, ut luculenter ostendam in Exercitationibus Historico-Criticis *De Concilii Nicaeni Praeside*, quas etiam, Deo volente, cum aliquid ocii mihi erit, in lucem edam.

(50) Operum edit. Lugdun. an. 1658 tom. 1. pag. 81.

(51) Tom. 1. pag. 106.

in praefatione ad tractatum de erroribus Abailardi; (52) Bernardus, Romano Pontifici non obedire, ordinationi divinae resistere esse, in concione ad Patres Concilii fatetur; (53) Bernardus, Romanae Ecclesiae plenitudinem potestatis per universas orbis Ecclesias donatam esse adfirmat in Epistola quam Mediolanensibus dedit. Porro plurima etiam alia facile possem ex S. Bernardi operibus innuere loca, ubi summam Apostolicae Sedis dignitatem praedicat, praecipue vero ex ipsis libris de Consideratione ad Eugenium afferre, ut magis, magisque pateat, quam inepte pro iudicio erroris sui Bernardum stare dixerit Petraeus. Nempe eorum lib. 2. cap. 9. inquit: *Age indagemus adhuc diligentius qui sis, quam geras, videlicet pro tempore, personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum, tu Primatu Abel, tu gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii Caeli ianitores, et gregum Pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi*

(52) Tom. 4. 111.
(53) Tom. 5. 302.

universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et Pastorum, tu unus omnium Pastor. Unde id probem quaeris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute et indiscrete, totae commissae sunt oves?

Itaque non D. Bernardus verbis illis, quae obiecit Petraeus, de Ecclesiastico Pontificis imperio loquitur, sed de terrenis eius divitiis, quas neque damnat, sed tantummodo illis bene uti hortatur; nam et alibi (54) eum monet, quod in externo splendore non Petro successerit, sed Constantino; et lib. 3. c. 1. diserte profitetur, quod praeesse non negat, sed dominari; idest ut ipse explicat praeesse in solicitudine, (*) dominandi libidinem affectare. Quid plura? Describamus ipsum S. Abbatis locum (55) unde obiecta verba accepit Petraeus: *Quando libet gloriari, ubi otiari non licet? Nec locus est otio, ubi sedula urget solicitudo omnium Ecclesiarum. Nam quid tibi aliud dimisit sanctus Apostolus? Quod habeo, inquit,*

(54) De Consid. lib. 4. cap. 3.

(*) Rei magis explicandae, praestat ipsa S. Bernardi verba referre: « Quid inquis? Non negas praeesse, et do- » minari vetas? Plane sic. Quasi non bene praesit, qui » praeest in sollicitudine.... Praesis ut prosis: praesis ut » fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super » familiam suam. Ad quid? Ut des illis escam in tempore; » hoc est, ut dispenses non imperes. Hoc fac, et dominari » ne affectes hominum homo, ut non dominetur tui omnis » iniustitia. »

(55) De Consid. lib. 2. cap. 3.

hoc tibi do. Quid illud? Unum scio, non est aurum, neque argentum: cum ipse dicat: Argentum, et aurum non est mihi. Si habere contingat, utere non pro libitu, sed pro tempore. Sic eris utens illis, quasi non utens. Ipsa quidem, quod ad animi bonum spectat, nec bona sunt nec mala: usus tamen horum bonus, abusio mala, solicitudo peior, quaestus turpior. Esto, ut alia quacumque ratione, haec tibi vindices; sed non Apostolico iure. Nec enim tibi ille dare, quod non habuit, potuit. Quod habuit, hoc dedit, solicitudinem, ut dixi, super Ecclesias. Numquid dominationem? Audistin? Relege Bernardi verba: imprudens haereticus, dum nobis hostem reputat obiicere, fautorem praestitit, si non habet super Ecclesias omnes primatum Romana Ecclesia, quid ait Bernardus, Petrum Romano Pontifici solicitudinem non unam super Ecclesiam, sed super omnes dedisse? *Quod habuit, hoc dedit, solicitudinem super Ecclesias.*

Ad ea autem, quae consulto reticere se velle Petraeus dicit, et ipse prudens et sciens respondere praetereo: a Paulo et Petro Romanam Ecclesiam constitutam esse dici, quia uterque Romanum populum Christi legem edocuit, quamquam solus Petrus id primus egerit, et illius Episcopus fuerit. Praetereo Romanos Pontifices successores Pauli non minus ac Petri se profiteri, non quia utrumque Romanum Episcopum fuisse credant, sed quia Petro et Paulo successerunt in guber-

nanda Ecclesia, quam uterque Apostolus sudoribus, et sanguine suo consecravit: praetereo insigne mendacium esse, ab aliquo Catholicorum Petro Paulum aequalem fieri, si de primatu agamus, cum, qui aequalem dicunt, de Apostolatu loquantur: Paulum nempe, ceterosque Apostolos, aequales fuisse Petro docentes, quod ad munus Apostolatus, et quod ad doctrinae decus, non autem quod ad regimen Ecclesiae, et principatum; quibus insignibus unum Petrum Christus decoravit, docentibus Cypriano, Augustino, Hieronymo, Conciliis, Patribus, Theologis omnibus unanimiter.

Ad illud venio, quod non reticet: nempe Paulum non Petrum Episcopum Romae fuisse, quia huius discipuli Linus, et Clemens statim post eorum mortem Romanum Episcopatum obtinuerunt. Heus? Dic sodes Petraee, unde nosti, sanctos hosce viros unius Pauli, non autem etiam Petri discipulos fuisse? Dic sodes, unde colligis de terrena discipulorum gloria inter se ambitiose decertasse gloriosos Principes terrae, qui semper in vita sua se invicem dilexerunt?

At Romae in altari, nec non in plumbeo Sigillo a dextris Petri Paulus cernitur. Fateor: at certe saepius a dextris Pauli D. Petrum conspicere est in antiquissimis Christianorum hominum monumentis. Quinimmo et cum a sinistris Petrus videtur, a dextris est: aliquando enim sculptores pictoresque sinistrum faciunt, quod dextrum vo-

lunt, nempe propter picturae, aut sculpturae faciem vultui spectatoris oppositum. Sed de his inferius (*).

Modo vero videamus, an Petraeus ibi saltem magis profecerit, ubi propter urbis dignitatem, Romanam Ecclesiam ceteris praestare obiecit. Verum, enimvero, cum spiritualis maxime sit Romanae Ecclesiae primatus, quem praeterit, nequaquam ab urbis splendore illud proficisci potuisse? Imperatorum Maiestatis praesentia, urbium splendor et gloria praestare poterunt, ut regni caput et imperii sedes, non ut Apostolica Sedes, urbs aliqua fieret aut esset. *Alia ratio est rerum secularium, alia divinarum.* Solus Christus sacrum Principatum stabilire, et Apostolicam auctoritatem donare potuit. Haec est PP. omnium doctrina: a Petro, in quo Ecclesiasticae potestatis

(*) Videlicet Exercit. XX. Ibidem pag. 469. not. 3 citat praecipuos quosdam scriptores, qui ea de re egerunt: videlicet *S. Petrum Damiani* ep. ad Desiderium Abbatem. - *S. Thomam* serm. 1. in Ep. ad Galat. - *Durandum* in Rat. divin. Officior. lib. 7. c. 24. - *De Marca* de Primatu D. Petri inter opuscul. a Baluzio edita n. 21. - *Allatium* de Eccles. Occid. et Orient. consens. c. 6. - *Mucantium* de SS. Petri et Pauli imaginibus. - *Theophilum Raynaudum* de bicipiti Ecclesia punct. 7. n. 4. - *Io. Bapt. Casalium* de veterib. sacris Christianor. ritib. part. 2. cap. 2. etc. - *Dianam* in disceptationib. apologeticis de Primatu solius D. Petri disc. 1. p. 106.- *Lelium Bisciolam* in Horis subsecivis par. 2. lib. 11. c. 5. - *Georg. Longum* de Annulis cap. 9. – *Mabillon.* de re diplom. lib. 2. c. 14. - *Kormannum* de triplic. annal. - *Roccam* etc.

fundamentum posuit Christus, Romanae Ecclesiae primatum effluxisse: quid nova novi homines moliuntur? Quod vero Petrus Romam venerit primatum in ea constituturus, certe *clementissima Dei providentia* factum est, ut cum Eusebio loquar: factum est, *divinis praeordinationibus,* ut edocet S. Leo. Scilicet urbe Roma Numinum omnium cultrice, ubi superbia plurimum potuit et impietas, splendidum triumphandi locum Crux, Humilitas, Fides Christiana invenerunt. Urbs Roma superstitionis centrum, ipso fere orbis terrarum medio sita, gentibus non solum, sed plurimis etiam Hebraeorum millibus habitata, aptissima erat, qua lapis ille angularis poneretur, qui utraque unum faceret: qua Pastor sederet, cui uni, ut, capite uno constituto, schismatis tolleretur occasio, totius terrarum orbis oves et agnos pascere mandatum erat. Neque enim ea Apostolorum indoles, ut vanissimo terrenarum rerum moverentur splendore, cum omnia reliquerint, ut Christum unum sequerentur, et hunc crucifixum.

INDEX

DE B. PETRI PRIMATU DISSERTATIO
FRANCISCI ANTONII ZACCARIA.

EXCERPTA DE ROMANO B. PETRI ITINERE ET EPISCOPATU

EX MAMACHIO.

EX FOGGINIO.

IMPRIMATUR

Fr. Marianus Spada O. P. S. P. A. Magister.

EDIZIONI RECENTI

DI QUESTA TIPOGRAFIA

BELCASTEL (Gabriele di) Che si protegga dal Vaticano, traduzione italiana del Sac. Severino Ferreri 1871 in-8. . . . . *L.* 1 75

BOLGENI (G. V.) Esame sull'opera intitolata: Vera idea della santa Sede. 1836, in-8. » 2 50

CELESIA (Monsig. Mich.) Lo spirito del Cattolicismo, ossia considerazioni sopra la vera Chiesa di G. C. 1866, in-8. . . . . . » 5 »

— Il Pontificato romano e i Barbari, o Pio IX e la civiltà. 1866, in-8. . . . . . » » 60

CORNOLDI (P. Giov. Maria d. C. d. G.) S. Pietro a Roma. Tre conferenze con appendice. Edizione II, 1872 in-8 . . . . » » 60

DECHAMPS (M. Arciv. di Malines) L'infallibilità e il Concilio generale, studio di scienza religiosa ad uso della gente del mondo; versione dal francese di Monsig. F. Mansi. 1869, in-8 . . . . » 1 80

GALEOTTI. L'autorità della Chiesa. Dispute e Polemiche con un ministro Valdese. II Edizione riveduta e corretta dall'autore 1866, in-8. . . . . » 3 »

MANNING. La Missione temporale dello Spirito Santo, ovvero la Ragione e la rivelazione. Versione dall'inglese pel P. Pamfilo da Magliano M. O. R. Ediz. II, 1870 in-8.» 2 »

MARIANO da Civitanova P. Capp. Del Primato del Romano Pontefice ne' primi secoli della Chiesa ed. II accresciuta; 1869, in-8. » 2 »

MUZZARELLI. Del Primato e Infallibilità del Papa 1870, in-8 . . . . » 1 25

ROMANI (Sac. Agostino) Il perpetuo trionfo della Chiesa Cattolica, con alcune conferenze sulla credibilità del Cristianesimo. 1871, in-8 . . . . » 1 50

SCHIAFFINO. L'Analogia della Fede e il Primato del Pontefice. Conferenze. 1857, in-8 . . . . » 1 20